

1.

1.

2.

3.

4.

5.

6.



1739.

p. 6.

1. * Silberstein et Pilnicko, Rudolphus Ferdinandus, De:
Trium . . . facultatum decani, seniores etc. . . .
ad memoriam anniversariam Rudolphi Ferdinandi
p. 6 de Silberstein et Pilnicko invitand.
2. Baermann, Georgius Buschartus. De natura quanti.
3. Bauer, Isaacus Gorpersus. De veritate criminis
perpetrati corpus delicti vocari solita in adul-
terio. Programma, quo ad orationem auspiciatum
invitat.
4. Bauer, Is. Gorpersus. De investitura Ernesti et
Alberti Electoris et Ducum Saxoniae de jure suc-
cedendi in Ducatus Saxoniae et Montium feudo mas-
culina.
5. Born, Jacobus Hurdus. De jure stipulae ac
nundinarum civitatis Lipsiae.
6. a
b. Trieb, Sivericus; fac. jur. procancelarius. Program-
ma, quo ad promotionem doctorum Ernesti Hurdii
Naglii invitat.

1739.

- 6⁶ Hoffmannus, Carolus Gottlob: Introductio in lectionem
epistolae S. Pauli, Apostoli ad Romanenses. Sect. I- 13.
7. Hommel, Ferdinandus Augustus, fac. jur. pro canonicis:
Programma, quo solenniter inauguratur Christiani Fridr.
Weinbergii in theol. 14.
8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De procedenda legum
Insulinensium prae jure patrio antiquo in foris 15.
Germanorum.
9. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De ratificatione
confessionis per tormenta extortae. 16.
10. Hundertmark, Carolus Fridericus: Ratio medicae tunc
mentis apud veteres per expositionem aegrotorum in
vicis publicis et templis. 17.
11. Huestnerus, Abrahamus: De legis obligatione in
foro conscientiae simulque collegii hyperna intimati 18.
12. Huestnerus, Abrahamus: De reo, si sit miserabilis
persona. 19.

1739.

13. Kestner, Abraham: De teste Fidei.
14. Kestner, Abraham: Et conductor actionem contra locatorem ob usum rei conductae impedire possessoris summarissimum institere queat?
15. Kestner, Abraham: De usu actionum patrimonialium in duplum et quadruplum in foris Germaniae.
16. Kestner, Abraham: De marito administratore et usufructuario bonorum uxoris adhuc minorum.
17. Kestner, Abraham: An pater ad successionem filii post proclamationem e suggestu publicam, nati, ante copulam sacerdotalem, anhem mortui, sit admissendus?
18. Kestner, Abraham: Num ob deficientem parentem (in sensum, aut ob tacitam uxoris remissionem, bigamus nuptiis poena adficiendus est?
19. Ancken, Frdrp. Ludov: De jure sepulchrorum - - - familiarium atque hereditarium qis demque illicita non omnibus consentientibus divisione aliave alienatione.

1739.

20. Mendler, Propertius Tutoricus: De indole causarum
minimarum.
21. Nylus, Ernestus Huricus: De citatione vasalli
et simultaneae investiti bonnesi episcopi iurisdictione
22. Nylus, Ernestus Huricus: De feloniam ante praesentiam
fidelitatis juramentum commissam
23. Nylus, Gustavus Huricus: Actus peccatus circa
sordiditatis et decora.
24. Nylus, Gustavus Huricus: Actus peccatus in
causis appellacionis
25. Neuhaus, Fr. Wendelius: De obsecratis debitoribus
ad legem Petilianam.
26. Rechenberg, Carolus Otto: Hoc fac. jur. pro concellam
Programma, quo solemnia inauguralia Fr. Wendelii
Neuhausii in D. S. T.
27. Rechenberg, Carolus Otto, fac. jur. pro concellam: Pro
gramma, quo solemnia inauguralia Fr. Proppius Sicken
in D. S. T.

1739.

28. Rivinus, Dr. Florens l. b. s. j. d. : Programma, quo
et Disputationes publicae innotat.
29. Rivinus, Johann Florens s. p. l. : Programma, quo
et Disputationes publicae innotat.
30. Rivinus, Johann Florens, fac. j. r. p. r. c. a. n. c. e. l. l. e. n. s. :
Programma, quo solennis inauguratio Jacobi
Henrici Borui in D. C. S.
31. Rivinus, Dr. Florens : De effectu confessionis
superatis tormentis sponte factae.
32. Rivinus, Dr. Florens : De clerico cantante.
33. Schüttemann, Zacharias David : De genio linguae.
34. Sieber, Joan. Propius : De argentariis eorumque
imprimis officiis.
35. Siegel, Dr. Goldub : De arbitro ex jure in Ro.
manis et Germanis. 2 Exempl.
36. Thomarius, Franz : De rectoribus pecuniam ab hinc
fiscum compellente uti et judicatum sed non tunc

perceptam alteri domare possit?

37. Weidlichius, Anstetis Gollapern: De praescriptione
in statu naturali considerata.

ine



177



Dubl. 1739
68

INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE S. PAVLLI
APOSTOLI
AD
COLOSSENSES
SECTIO I.

QVAM
VENERANDO THEOLOGORVM ORDINE IVBENTE
PRO

L I C E N T I A

SVMMOS IN THEOLOCLIA HONORES CONSEQVENDI
IN

ACADEMIA LIPSIENSI

a. d. XXVI. AVGVST. A. R. S. clo lo cc XXXIX

PVBlice DEFENDIT

CAROLVS GOTTLOB
HOFMANNVS

ADHVC APVD LIPSIENS. AD AEDEM S. PETRI ECCLESIA-
STES, NVNG DESIGNATVS S. S. THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS ET ALVMNORVM REGIO - ELECTORALIVM
EPHORVS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI.

EDITIO SECVNDA AVCTIOR

VITEMBERGAE

APVD EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDIVM
ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.

PERQVAM. ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO. GENEROSISSIMO
DOMINO
DN.
CHRISTIANO GOTTLIEB
DE
HOLTZENDORF

HAEREDITARIO. DOMINO. BAERENSTEINI
AGRIQVE. LICHTENAVIENSIS. TAM
SVPERIORIS. QVAM. INFERIORIS
ETC.

SERENISSIMI. ATQVE. POTENTISSIMI
REGIS. POLONIARVM. ET. ELECTORIS
SAXONIAE. SENATVS. ECCLESIASTICI. CONSI-
STORIQVE. SVPREMI. PRAESIDI. GRAVISSIMO
CVBICVLLI. REGII. COMITI. AMPLISSIMO. ET
A. CONSILIIIS. REDITVVM. PVBLICORVM. ETC.

DOMINO. SVO. INDVLGENTISSIMO

PRO. SVMMO. EOQVE. IMMERITO. FAVORE
PATROCINIO. ATQVE. PRAESIDIO
ITERVM. ITERVMQVE. EXHIBITO
HANC. QVALEMCVNQVE. GRATI. ANIMI. TESSERAM
DEMISSE. ANIMO. OFFERT
DICAT. DEDICAT
FORTVNATA. QVAEVIS. ET. LAETISSIMA
PIA. MENTE. APPRECATVS
NOMINI. TAM. CLARO
TAM. CELEBRI
DEVOTVS

DISSERTATIONIS. AVCTOR
CAROLVS. GOTTLOB. HOFMANNVS.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM!



Quas Sanctus PAVLLVS Apostolus conscripsit
litteras omnes admiramur, nec erit facile harum qui
præstantiam summamque auctoritatem ignoret.
Qui enim divino afflatu gaudebat, nil nisi quod
divinum & egregium omnique veneratione dignum, eloqui
poterat Apostolus. Nec defuerunt unquam Paullinarum
epistolarum præcones, quos singulos nunc recensere, inanem
operam ego quidem cenſeo. Est etenim omnium hominum
Christianorum, laudare oracula divinitus inspirata, quæ totius
religionis fundamenta & principia constituunt.

Quam ad Colossenses Paullus exaravit epistolam, doctores
cætus Christiani omni tempore venerati sunt, eamque prome-
riticis laudibus condecorarunt. Iam olim Bulgarorum Archi-
episcopus, THEOPHYLACTVS, & diu ante CHRY-
SOSTOMVS, monuit, epistolas a S. Paulo in vinculis scri-
ptas reliquis præstare, quippe quæ instar tropæi in media cæ-
de, parta victoria, a victore compositæ fuerint. HVGO
GROTIUS idem sentiebat, omnesque licet epistolas Paulli
egregias putaret, omnium tamen primas, quæ Roma ex vin-
culis missæ. Sunt autem hæ laudes, nisi me omnia fallunt,
caute accipiendæ, ne inde iniuria forte in Θεοπνευσίας, infallibi-
lemque afflatum sanctissimi flaminis deducatur. Maiorem cau-

tionem adhibuit, HEIDEGGERVS, qui, non parum hanc epistolam, quod in vinculis scripta, commendare existimat, quia sic constat, quanti S. Paullus veritatem fecerit, utpote propter quam vincula cæteraque pericula omnia promte patienterque subiit. V. *enchr. bibl. p. 902.*

Habet omnino epistola ad Colossenses eximia multa & egregia, felicissimusque sacræ exegeseos magister b. FRIDERICVS BALDVINVS eam *Dialecticam Apostolicam* vocavit: quia suo exemplo docuit Apostolus, fidei doctrinas non nude proponendas, sed & ad vitam bene instituendam transferendas esse. Egregiam docendi rationem! quam utinam omnes divini verbi præcones studiose sequerentur.

Ego vero in hac epistola admiror in primis concinnum aptumque dicendi genus, quo singula Christianæ religionis capita, creditu scituque necessaria, strictim recensuit, & (quod aiunt) in compendio tradidit. IO. HENR. HEIDEGGERVS recte eam dixit *totius evangelii nucleum*; addo ego, quod & præcipuæ morum doctrinæ regulæque brevissimis ab Apostolo fuerint adiectæ. Hinc & b. BALDVINVS: *Brevis quidem est, inquit, & capitum non ita multorum, dives tamen dogmatum Christianorum, clavis divinæ sapientiæ coherentium, & stimulos ad veram pietatem habet præacutos, qui ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum attenti lectoris penetrant. v. dedicat. ad commentar. in epist. ad Coloss.* Annuit AVG. CALMETVS, hancque ad Colossenses epistolam, *sensibus & nobilitibus elatisque phrasibus & moralis divinæ præceptis*, (utor autem stilo MANSIANO) *undique refertam admiratur. v. prolegom. bibl. rom. II. p. 257.*

Si

Si qua fuit ætas, adfiduam huius epistolæ meditationem
lectionemque sibi vindicans, est certe, quam nos vivendo attigimus. Ab hac parte urgent nos *Neo-Ariani*, qui etsi ab Apostolo in his ipsis literis fortiter confutati, non verentur ex iisdem tela, in divinitatem IESV Sospitatoris nostri directa, promere. Quis enim nescit, quanto strepitu *προποσηον πασης της κησεως* laceffere soleant perditissimi illi? Col. I, 15. Ab illa, in nos grassatur turba, fidem Christianorum dudum eiurata, honestum & speciosum *Philosophiæ* nomen titulumque mentita: quot quæso alit Germania & Anglia portenta philosophorum falso sic dictorum, qui rationem ubique crepantes, revelationem tandem omnem deletam cupiunt. Nec in nostris terris desunt, qui sub venerando sanæ rationis titulo figmenta quælibet ingenii luxuriantis venditant. Ab ista demum parte, impia *Dippelianorum* cohors armata manu in vulnera IESV ruit, nostræque fidei caput, satisfactionem pro criminibus nostris, multo impetu adoritur. Horrendum dictu, sed cheu verissimum! eo usque scilicet multos abripuit studium promovendi sanctitatem, ut morum probitatem inculcantes, veram solatiique plenissimam doctrinam de iustificatione, quovis modo perfundarent. Tandem & doctores *Romana Ecclesiæ* Christianum cæterum turbare, artesque antiquorum Gnosticorum & Semiudaizantium in orbem revocare pergunt. His singulis atque omnibus ex epistola Pauli ad Colossenses obviam ire licebit, ita quidem, ut *Neo-Arianis* Col. I, 16. c. II, 9. *Pseudo-philosophis* Col. II. 8. *Dippelianis*, Col. I, 14. 20. 22. Col. II, 14. 15, *Pontificiis*, Col. II, 16. 23. opponatur.

Inde patet, quam utilis & necessaria sit theologo lectio
episto-

epistolæ ad Colossenses, ad cuius faciliorem interpretationem eundem præparare studemus. Nomen *introductionis* in rubro servavi, ceu vulgo notum, & ex PRITIANA opera in nostros usus translatum. In duas sectiones opellam distribui, quarum *prima* in describenda Colossensis Ecclesiæ & urbis historia, *secunda & tertia* in ipsius epistolæ consideratione theologico critica, occupatur. *Prima* nunc in lucem edita, secum fert excursus quosdam in argumenta theologica, quos facile mihi condonabunt, qui fidem & scopum prolatae nunc in orbem disputationis secum volverint. *Secunda & tertia*, Deo favente, proxime priorem sequentur, eaque, quæ in hac desiderantur, supplebunt. Caterum, lectores meos benevolos & memetipsum divinæ curæ commendo, summoque Numini pro innumeris mihi exhibitis beneficiis demissa mente gratias ago. Sit

DEO TRINIVNI laus, honor, & gloria in sæcula!





CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I.

Nomen urbis, ad cuius incolas
epistola missa est, indicatur.

§. II.

Colossenses non fuisse *Rhodiums*,
ostenditur.

§. III.

An *descriptio* urbis Colossensium
sit necessaria? Et, habentne
litera profanae in sacris
usum, contra Fanaticos
distinguitur.

§. IV.

Colossae, urbs *Phrygiae*.

§. V.

Phrygia, regio minoris *Asiae* :
quae *Asia* autem in N. T. pu-
tetur, docetur.

§. VI.

Ad *Koinon* *της* *Ασίας* *Phrygia* per-
tinet.

§. VII.

Quae *Phrygia* in *minorem* &
maiolem,

§. VIII.

Maior in *Pacatianam* & *saluta-
rem*, olim distribuebatur.

§. IX.

Sitae fuerunt Colossae ad *Lycum*
fluvium, & quidem

§. X.

In *monte* : satis ampla, satisque
celebris urbs.

§. XI.

Fata Colossarum sub *Phrygiis*,
Lydis, *Persis*, *Macedonibus*,
Pergamenis, *Romanis*, narra-
tur.

§. XII.

Mores & *ingenia*, *artes* & *scholae*
Phrygum commemoran-
tur : multosque *Iudaeos* in
Phry-

A

- Phrygiam venisse, non sine
DEI consilio sapientissimo,
probat. §. XIII.
- Religio Colossensium gentilis*
describitur. §. XIV.
- Conversio Colossensium ad Chri-*
stum indicatur, & ad Act.
XVI, 16. & Act. XVIII, 23.
observatio additur. §. XV.
- Conversionis Auctor S. Epa-*
phras, cuius vita enarratur.
§. XVI.
- Ecclesiae Colossensis status feli-*
cissimus exhibetur.
§. XVII.
- Doctores ecclesiae Colossensis
nominantur, *Onesimus* in pri-
mis. §. XVIII.
- Tyebicus, Archippus, Marcus,*
Philemon. §. XIX.
- Vicinae urbes, *Laodicea*, &
§. XX.
- Hierapolis*, nec non
§. XXI.
- Anastasiopolis*, describuntur, tan-
demque §. XXII.
- Cur de his Phrygiae urbibus h.
l. agatur, paucis monstratur.
§. XXIII.
- Ultima Colossensis ecclesiae fa-
ta, martyresque, deque *Cho-*
niaris celebribus pauca affe-
runtur.





INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE APOSTOLI PAVLLI
AD COLOSSENSES
SECTIO I.

§. I.

AD *Colossenses* data est epistola, ad cuius faciliorem interpretationem pium doctumque hermeneutam informare studemus. Titulus epistolæ præmissus *Colossenses* nominat, quippe qui hunc in modum se habet: προς Κολοσσαεις επισολη Παυλος, de cuius auctore etsi non constet satis, non est tamen, ut de veritate eiusdem dubitemus. In ipsis enim literis cap. I, v. 2. *Colossensis* ecclesia nominatim salutatur, nec ulla nominis huius vel mutatio vel variatio in codicibus MSS. observatur, nisi quæ ad rectam scribendi occasionem pertinet, sensum autem nullo modo turbat. Alii codices habent v. 2. Κολοσσαεις, alii Κολασσαις, quos singulos nominat doctissimus DN. BENGELIVS in *apparatu Critico* p. 699, cui iungas quæso MILLII *Nou. rest.* ad Col. I, 2. & beate defunctum

Nomen 'urbis, ad quam epistola missa.

etum *Wolfium* in *curis philol. Critic. ad N. T.* tom. III. p. 277. Etſi vero LVC. HOLSTENIVS in *obſerv. ad Geogr. Caroli a S. Paulo* p. 142. (*) ſtudet lectionem *κολασσαίς* omnibus perſuadere, cui & CELLARIVS in *geogr. antiqu. T. I.* p. 152. & Celebr. SCHWARZIVS in *Comment. critic. ling. Græcæ N. T.* p. 799. aliique adſentiuntur : Etſi in Menæis Græcorum p. 178. eadem lectio obſervatur : Etſi denique in quibusdam codicibus & Patrum commentariis eadem lectio obviat ; In *Strabone* tamen, *Herodoro*, *Xenophonte*, *Plinio*, & optimis N. T. codicibus nomen *Coloſſarum*, non *Colaſſarum*, ſcriptum legitur. Quam lectionem Latini Codices pariter & Patres verè omnes ſectantur. Sique rectè memini, in *Complutenſibus* inſcriptio Epistolæ habet quidem *κολασσαίς*, ſed c. I, 2. in textu *κολοσσαίς*; quam variationem vel ſtudio editoris, vel negligentia operarum originem debere, res ipſa loquitur. (**)

§. II.

Coloſſenſes non ſunt Rhodii.

Cum *Coloſſarum* nomine nullam urbem inſignitam ſciamus, præter eam, quæ Phrygiæ Maioris eſt, miramur omnino, SEB. MVNSTERVVM, virum cætera laudatiſſimum, *Rhodi-enſes* per Coloſſenſes noſtros intellexiſſe. Idem ſomnium ſomniarunt & alii, a GVIL. ESTIO & CROCIO ad h. I. notati, facillimeque conſutati, ut ſunt ZONARAS, GLY-CAS aliique, quibus viam munifſe videtur SVIDAS, dum ſub voce *ῥοδος* tradit, Rhodi incolæ a ſtupenda illa *Coloſſæ* ſtatu

(*) Scripſeram nuper nomen ALLATI, præcunte viro ſummo AVG. CALMETO in *prolegom. & diſſert. in S. Scripturam Tom. II.* p. 276. Sed eſt apud CAROLVM a S. PAVLLO edit. an. 1722. p. 232.

(**) Cæterum, quod in Græcis codicibus *Κολασσαίς* legimus, per alpha ſcriptam in ſecunda Syllaba, haud ſcio, an librariorum acciderit incuria, præſertim cum Vulgarius urbis ſitum exponens, Coloſſas ſcribat, non Colaſſas. Hac ERASMVVS in *annot. ad N. T.* p. w. 441. (edit. Baſil. 1519.)

tua *κολοσσαίς* vocatos esse. Sed omnibus patet, cognomen fuisse hoc Rhodiorum, quo in titulo & salutatione epistolae uti, a moribus & Apostolorum & scriptorum bonorum abhorret. Scripsit Paulus Apostolus Colossensibus, proximis ab urbe Laodicensium & Hierapolitanorum, c. II, 1. & IV, 13. 15. Sed in Rhodum insulam longissime Hierapoli Laodiceaque distantem, haec non quadrare, quis est, qui non intelligat. Eo facilius autem de Phrygiae Colossensibus intelliguntur, qui & Laodiceam & Hierapolim in propinquo habuerunt. (*)

§. III.

Per Colossenses itaque, ad quos S. Paulus literas misit, intelligo incolas urbis Colossarum, in maiori Phrygia ad Ly-<sup>An descriptio
urbis Colossensium sit necessa-
ria?</sup> cum flumen olim sitarum, hodie nomine *Chona* vel *Chonon* nuncupatarum, & a Turcis ad Natoliam relatarum. Sic enim THEOPHYLACTVS: *πολις Φρυγίας αὐ Κολοσσαί, αὐ νυν λεγόμενα Χωνα; Colossae urbs Phrygiae, nunc Chona dicitur.* Verum non parum miratus sum, THEOPHYLACTVM praeter propinquitatem Laodiceae allegasse nullam causam, cur Chonas cum Colossis easdem existimer. CONSTANT. PORPHYROGENNETA *rhemate III.* scribit: *κολοσσαί, αὐ νυν λεγόμενα Χωνα, Colossae, quae nunc Chona dicuntur.* De hac urbe paucissima monuerunt Commentatores plerique, ne excepto quidem CALMETO in *prolegomen. bibl. tom.*

A 3

II. p.

(*) Inprimis non possum non mirari, quid in mentem venerit his, qui Colossenses, ad quos scribit hanc epistolam Paulus, aiunt esse Rhodioses, ob nobilem illum Colossum, qui memoratur inter septem mundi miracula. Nam de statua quidem nullus non meminit scriptorum. At de civitate huius nominis, ne ii quidem ullum fecere verbum, qui totius insulae situm diligentissime literis prodiderunt. Haec ERASMVVS loco citato. Et vere, inquit NIC. SANSONIVS, somniant, qui hos Colossenses Rhodios putant. v. *Geograph. sanct. p. 37. edit. Cleric.*

II. p. m. 256. Nec opus esset, de ea plura commentari, si iudicium IOH. HENRICI SVICERI *Comment. ad epist. Pauli ad Coloss.* p. 4. sequi vellemus: *De Colossis multa*, inquit, *dicere, exiguum haberet adificationem Dei in fide.* At enim vero, quis non intelligit, SVICERVM vel de ignota re iudicasse, vel pietatem a doctrina & eruditione immerito se iunxisse: alia enim curat interpret doctus, alia lector pius & simplex. In mentem mihi revocat SVICERI lapsus vesaniam Fanaticorum, ad quorum sententiam si Theologorum studia essent conformanda, omnis eruditio ab Eusebii sacris removenda esset. In vulgus nota est profana BARCLAII Quackeri vox, qua omnem *academicam theologiam* (per contemtum ita vocatam) *artem cauponandi* dicere veritus non est. v. *Apolog.* thes. X. §. 19. Nec desunt hodie, qui Christianam simplicitatem in crassam ignorantiam commutatam cupientes, tot convitia, tot scommata, tot orationes invehivas saepe in Academicas harumque praedicationes eructant, & sub venerando *ασκησιως εν ευσεβεια* venditant, ut merito suspicemur, subsidia a profana eruditione in Theologiam translata, passim male audire. Quoties quaeso, ignobile hoc vulgus occidit academiis, *το κρηγμα* Pauli non constituisse in *πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογισ*, I. Cor. II, 1. Etenim non animadvertit, Paullum de fidei salutaris fundamento & principio, frustra in argumentis philosophicis quaesito, loqui, non de subsidiis variae eruditionis, quibus Theologus opus habet, quibus & ipse S. Paullus subinde in epistolis suis usus est. Taceo, artes fraudesque Sophistarum, Paulli aetate sophisticæ & in utramque partem de una re disputantium, cum Critica, Geographia & Chronologia sacra, &c. conferri non debere. Nec est, ut quis nobis obiciat, profanam eruditionem inflare hominem: verba enim Apostoli, ad quæ alluditur, (I. Cor. VIII, 2. *η γνωσις Φυσις, scientia inflat,*) nequaquam de *profanis* scientiis, sed de *sacra* quadam cognitione accipienda sunt, nec tamen ea salutaris, sed ad

Ufus profanorum literarum in sacris, contra Fanaticos asseritur.

ad factum & ostentationem composita. Nimirum de *γῳασει*, de qua Corinthiorum quidam gloriabantur, quasi scilicet soli doctrinam de discrimine ciborum rectissime intelligerent. Tantum abest, ut Paulus de eruditione humana loquatur; ut potius abusum spuriae notitiae (*γῳασεως*) & scientiae Christianae reprehendat, de qua ipsi Fanatici sibi suisque fratribus gratulantur. Nonne quaeſo omnibus theologis in Academia educatis sese putant longe doctiores? nonne se putant longe sanctiores, longe profundiores in divina sapientia? en! quam inflaverit homines scientia, quam divinus Paullus optime vocavit *γῳασει ψευδωνυμιον*, 1. Tim. VI, 20. Urgent denique discrimen, quod ubique crepant, inter *literam* & *spiritum*; quaestiones Criticas, geographicas &c. ad literam referunt, eamque mortuam & inutilem, quare & easdem abiiciendas atque fugiendas iudicant. Sed quoniam discrimen illud (*) satis explosum, frustra in Paullino effato 2. Cor. III, 6. quaesitum, non est, ut eiusdem confutatiōi diutius immoremur. Ad rectius faciliusque capiendum sensum S. Scripturae literalem, pertinent dictae quaestiones: ad promptius superandas difficultates, non a Quackerorum rudi plebecula, sed a prudentioribus hermeneutis observatas, faciunt eadem: tandemque Theologum instruunt, qua arte reicere debeat Scepticorum & Antiscripturariorum dubia, ad negandam S. codicis divinam auctoritatem excogitata. Haec qui secum reputaverit, vanas artes nunquam vocabit Criticam, Geographiam, Chronologiam, nec alias scientias eruditas, ad Theologiam applicatas. AVGVSTINVS haec studiorum genera

(*) Illud nempe discrimen, de quo nunc loquimur, scilicet, a Fanaticis male excogitatum, suisque pessimis opinionibus accommodatum. Non est itaque, ut nobis veteres VITEMBERGENSES theologii, discrimine inter literam & spiritum usos, obiciantur: pios enim nostros maiores a Schwöckfeldianis erroribus longissime abfuisse, quis est qui ignoret. conf. BALDVINVS in comment. ad epistol. Paullin. p. n. 603.

ra eruditus Christianis commendavit ideo, quia *historia* *transactorum* *temporum* plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos, etiam si præter ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiades, & per consulum nomina multa sæpe quaruntur a nobis: & ignorantia Consularis, quo natus est Dominus & quo passus est, nonnullis coegit errare, ut putarent, quadraginta sex annorum ætate passum esse dominum, quia per tot annos edificatum esse templum, dictum est a iudeis, quod imaginem Domini corporis habebat, v. de doctrin. Christian. L. II. c. XXVIII.

§. IV.

Colossæ, urbs
Phrygiæ.

In Phrygia Maiori sitas olim fuisse Colossas, diximus; nec absque fide auctorum optimorum, STRABONIS scilicet, PLINII, XENOPHONTIS, STEPHANI BYZANTINI, aliorumque: Quorum loca & testimonia ut prolixius allegemus, necesse non est, cum nemo de re maxime nota dubitet. HERODOTVS Colossas nominat *πολιμ μεγαλην Φρυγιας*, XENOPHON *πολιμ οικουμενην, ευδαμωνα και μεγαλην*, Lib. I. de exped. Cyri p. 193. Menæa Græcorum describunt, *υι πολιν της Φρυγιας, πλησιον της Λαοδικειας*, d. 22. Nov. pag. 178. Et in quarto hymno, in honorem Philemonis decantando, vocant *θειανπολιμ Κολασσεων*, non tam propter agri fertilitatem, quam religionis Christianæ Martyrumque gloriam. Cætera tacemus. Phrygia quoniam in *minorem* & *maiolem*, post hæc maior in *salutarem* & *Pacatianam*, divisâ est, merito quaeritur, ad quam Colossæ pertinuerint: Ad utramque quaestionem respondebo, posteaquam, cui Asia ipsa Phrygiæ regio sit adscribenda, constabit.

§. V.

Phrygia regio
Asiæ minoris.

Phrygiam vulgo dicimus regionem Asiæ; qui curatius loqui amant, eam vocant terram Asiæ minoris. Est autem vox Asiæ æquivoca: Sex etenim diversos significatus collegit CELLARIVS in volum. dissert. p. 418. *Latissimum*, quo tertiam ter-

ræ

rae continentis partem, eamque opulentissimam & ditissimam indicat. *Latioem*, quo peninsulam magnam inter duo maria, Ponticum & Mediterraneum, natantem denotat. *Latum*, quo regionem cis & citra Taurum montem sitam significat. *Sri-ctum*, quo provinciam proconsularem, quatuor regiones a mari Aegeo proximas complectentem. *Sri-ctiorem*, quo mediam provinciae partem circa Ephesum & Lydiam. *Sri-ctissimum* denique, quo parvum ad flumen Caystrum tractum ex notione Homerica, designat. Mihi quia res est cum Lectoribus sacri voluminis N. T. ex CELLARIO repeto, in sacris paginis vocem *ασιας* denotare saepius provinciam *Asia*, quam CELLARIUS recte *proconsularem* dixit. Ecclesiae septem, ad quas Ioannes Apocalypsin suam exaravit, in Asia hac proconsulari iacebant, Apoc. I, 4. & c. I, II. add. Act. XIX, 19. 22. 26. Atque hanc DIO historicus subinde nominavit *ηπειρον ασιαν, continentem Asiam* L. 37. p. 38. L. 48. p. 371. V. SPANHEMII *orbis Romanus* c. XI. p. m. 228. Dispicere licebit aliis, sitne haec Asia *η ιδια λεγομενη* apud STRABONEM Lib. 12. pag. 672. *η ιδια ασια* apud PTOLEM. l. c. c. 2. *Asia proprie vocata* Quae Asia in N. T. libris pate- cur.

apud PLINIVM Lib. 5. hist. nat. c. 27. CELLARIUS loco mox excitato putat, sacris N. T. scriptoribus unam hanc Asiae notionem placuisse. At ego quidem, non unam, sed praecipuam dixissem. Locis enim rite perlectis, S. Lucam nomine Asiae nonnunquam partem provinciae mediam circa Ephesum & Lydiam, id est, strictiorem indicasse, existimo. Per- tinuit ad proconsularem Asiam Myfia, Caria, Lydia, Phrygia, teste CICERONE *orat. pro Flacco* c. 27. quibus a recentioribus multo plures adduntur ditiones: Nempe Ionia, Troas cum Aeolide, ab AENEAE SYLVIO c. 60. *de Asia minore*. Rerum periti facile lapsum SYLVII subodorantur, quo nomina, non regiones, praeter rem adauxit. Est enim *Phrygia minor* ea, quae Troas cum Aeolide, *Ionia* autem, quae Lydia posthaec & Caria. Evolventi autem Act. II, 9. patebit,

B
Phry-

Phrygiam & Pamphyliam ab Asia distingui. Nec frustra Paulus pariter & S. Lucas, quoties Ephesum resque a se Ephesi gestas allegant, Asiam citant, 2. Cor. 1, 8. Act. XIX, 10. 22. 26. 27. c. XX, 4. 16. 18. 27. Fuit enim Ephesus Asiae proconsularis metropolis, ipsius Proconsulis sedes, ubi ius dicere solebat; quo factum est, ut tractus circa Ephesum strictiori sensu Asia diceretur.

§. VI.

Phrygia ad
Κωνσταντινου
pertinuit.

Ad proconsularem itaque Asiam pertinuit *Phrygia*, id quod non solum CICERO l. c. omnesque Geographi antiqui, sed & situs Colossarum, Laodiceae, Hierapoleos, aliarumque urbium Phrygiae ad oculum commonstrant. Numi referentes nomina urbium Phrygiae, in primis Laodiceae, mentionem simul faciunt τῆς κοινῆς τῆς ἀσίας; quod manifesto est indicio, relatum olim fuisse Phrygiam ad Asiam, & ad huius concilia ludosque publicos & Sacra admissam. In numis Laodiceorum legitur, ΟΜΟΝΟΙΑ ΔΑΔΑΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, porro ΔΑΔΑΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Smyrnam enim cum Epheso de principatu contendisse, in vulgus notum est. Hierapolitanorum numi luculentissime testantur, quod Hierapolis Phrygiae ad κοινὸν τῆς ἀσίας Ephesi habitum pertinuerit. In gazophylacio Brandenburgico reperivit BEGERVS numum, facie velata pariter & laureata ex hac, ex averfa parte autem simulacro victoriae condecoratum, in cuius margine legitur ΤΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΙΑ. Sunt autem posteriores duae voces a chalcographo male expressae, siquidem pro ομονοια posuit ομονια & particulam κα per seripcionis compendium voci εφεσιων adiecit. BEGERVS paullo aliter sentit, hancque Hierapolin Lydiae regioni adscribit. Sed cum ex STEPHANO BYZ. pateat, Hierapolin πόλιν μεταξὺ φρυγίας καὶ λυδίας fuisse, mirum non est, unam eandemque urbem ab his Lydiae, ab illis Phrygiae adscribi.

bi. v. *Thef. Brand.* Tom. I. p. 505. SPANHEMIVS aliud numisma Commodi imperatoris exhibet, in quo ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ scriptum est. Plures allegare possemus numos, cum his exhibitis conspirantes; sed cur adeo laboremus in confirmanda re, de cuius certitudine nemo fere dubitat. Laodicea & Hierapolis præcipuæ urbes sunt Phrygiæ Maioris: quod si hæc ad ΚΟΙΝΟΝ τῆς Ασίας pertinerunt, Phrygiam maiorem ad eandem pertinuisse, nemo negabit.

§. VII.

Phrygia ipsa olim distribuebatur in *maiolem & minorem*. Phrygiæ divisio in maiorem & minorem.
Minor ad maris Aegæi littora sita, celebritatem nominis maximam consecuta est a metropoli TROIA, cuius fata tristissima Poëtarum carmina toties cecinerunt. Livio audit *Hellepontica*, quia ab Helleponto proxima erat. *Maior* in continenti Asiæ minoris obviabat, & si ORLENDO credimus, habuit Bithyniam ad Boream, Galatiam ad ortum, Pamphyliam Lydiamque ad meridiem, Mysiam ad occasum. vid. *Orbis Sacri* & *prof.* Tom. I. p. 138. Alii existimant, a septentrione Phrygiam habuisse fines Bithyniæ conterminos Galatiæ, a meridie Cariam Lyciamque, ab occasu Lydiam & Ioniam, ab ortu solis regnum Amyntæ, Cappadociam & Lycaoniam. Non miramur, Geographos in describendis Phrygiæ finibus non consentire: STRABO enim dudum observavit, nihil difficilius esse, quam fines Bithynorum, Mysorum, Phrygum, distinguere, quia innumeræ fere mutationes, aliis alias regiones obtinentibus, omnes terminos vagos incertosque reddiderint. Meminit eiusdem in maiorem & minorem divisionis STRABO edit. Paris. p. 571. recent. p. 856. *Φρυγία τε γὰρ ἡ μὲν καλεῖται μεγάλη, ἧς ὁ Μίδας βασιλεύσας, καὶ ἧς μετὰ τοὺς Γαλαταὶ κατέσχον ἡ δὲ μικρά, ἡ ἐφ' Ἑλλησποντῶ, καὶ ἡ περὶ τὸν Ὀλυμπον, ἡ καὶ ἐπιτικτικτὴ καλεῖται.* Nam Phrygia alia vocatur magna, cuique rex su-

in Midas, & cuius partem Galatæ occupaverunt: alia parva, quæ Hellespono imminens, circa Olympum est, & Epictetus dicitur. Colossæ non ad minorem, sed ad maiorem Phrygiam sunt referendæ, siquidem in hac Mæander & Lycus flumina, ad quorum oras Colossæ iacebant, undas suas traxerunt, conf. §. 4.

§. VIII.

In Pacatianam & salutarem. Subscriptio epist. ad Timoth. prioris.

Equidem in subscriptione prioris Epistolæ S. Pauli ad Timotheum Phrygia, ad quam Laodicea refertur, vocatur Pacatiana, (απο λαοδικειας, η τις εστι μετροπολις φρυγιας της Πακατιανης) quo ipso sublesta fides subscriptionis huius proditur. Divisio enim Phrygiæ in salutarem, & Pacatianam adeo nova est, ut sæculo Apostolico plane fuerit ignota. Diu post concilium Nicænum, a Theodosio (*) (ut opinor) facta & inventa est, cum Christianorum cætus eodem modo, quo omnes imperii Romani regiones, in certas partes sedesque episcopales distribuerentur. (**) Siquidem ex Notitiis imperii patet, Phrygiæ

(*) Sic THEODOSIUS junior Phoeniciam alter, quam olim, divisit, duasque eiusdem metropoles constituit, Tyren, aliam, aliam Beryzum. Valens imperator divisit Cappadociam, novamque metropolim esse iussit Tyanin. E contrario Iustinianus duas Ponti provincias contraxit, postea Honoriadem & Paphlagoniam univit.

(**) Iam Apostolorum ætate episcopos sedesque episcoporum fuisse, ne pueri quidem ignorant. Sed ipsis Imperatoribus ad Christianorum sacra adductis, & ordo & sedes inique episcoporum, mirum in modum aucta pariter & mutata fuere. Hæc si quis negare fuerit ausus, confutet antea ELLAM DYPINUM, de diceceson ecclesiasticarum distributione ad formam & instituta politici regiminis facta, & præcipuis in hac mutationibus, doctissime differentem *diff. 1. de antiqua ecclesie disciplina, §. 8.* Addo verba summe venerabilis theologi ac quondam Collegæ Patronique mei honoratissimi, DN. D. SAL. DEYLINGII, in *insitut. Prudent. pastoral. p. 68.* „Nam antiquitates, regimen civile & sæculare imitari, ecclesiam N. B. ad exemplum Imperii Romani in varias divisit diceceses, & provincias, suo præterito ordini & decori. Et quemadmodum in statu politico diversa erat Rectorum dignitas, ita magnis etiam dignitatum & antistitum dissimilitudo introduci cepit. Hæc ille. In primis doctissima atque elegantissima est illustris & per omnem fere Europam Celeberrimi DN. Io. Iac. MASCOVII observatio: „Initio statim notandum, ecclesiasticam politiam, qualis flo-

Phrygiæ minoris & maioris septimam & octavam sedem in diecesi Afiana fuisse, v. ORLENDI *orbis sac. & prof.* T. I. p. 138. & SPANHEMII *introd. in Geograph. sac.* p. 148. Notitiæ itaque imperii orientalis & ecclesiæ, Pacatianam Phrygiam referunt, antiquiora vero monumenta plane silent. Patethinc ratio, cur nomen *Pacatiana* tam in Syro interprete, quam in Arabico & antiquo Latino dictæ subscriptionis translato, frustra quaeratur; quia scilicet in antiquis apographis lecta non est subscriptio epistolæ Paullinæ. sed vel tota vel ex parte, a recentiori manu adscripta. *Nicana* Synodus, observante ORLENDI c. unam duntaxat Phrygiam commemorat; *Cplizana* prima Pacatianam a salutari distinguit; *Chalcedonenfis* Laodiceam vocat metropolim Phrygiæ Pacatiæ, Synnadam Phrygiæ salutaris. (*) Interea annotasse iuvabit, Pacatiæ Phrygiæ metropolim fuisse Laodiceam, quo honore in sublesta illa subscriptione etiam condecoratur. Variat autem nomen Pacatiæ, nam in BEVEREGIO *tom. I. can. concil.* p. 553. legitur *καπατιανης φρυγιας*, quam lectionem alibi etiam observavit CELLARIVS in *dissert. de irriveribus S. Paulli* §. 15. & ORLENDVS in *Orbe sacro & profan.* tom. I. p. 189. In *Notitia Leonis sapientis*, a Beveregio, Goaro, aliisque e-yulgata, exhibentur nomina XIX. urbium ad Phrygiæ Pacatiæ provinciam pertinentium, quas inter nomen Colossarum vel Chonarum frustra quaesivimus. Hierocles Grammaticus triginta novem urbes recenset, quarum sexta Colossarum nomine venit. v. ORLENDVS in *orbe sacro & prof.* tom. I. p. 141.

B 3

§. IX.

rente imperio Romano adornata fuit, ad instar distributionis civilis, in plebisque institutam antiquitas fuisse. Er quam a Constantino M. nova Imperii divisio instituta, Episcopi urbium in quibus Præfeti pretorio essent, in eadem diecesi, novas sibi præerogativas (addo titulos & nomina) vindicare. v. *diss. de primatibus Germanic.* §. 2. add. IOSEPHVS MORTA, *de iure metropolit.* §. 44.

(*) *Epistola* nominat Constantium, Episcopum Phrygiæ Pacatiæ v. KOLVS a S. PAVLO in *Geogr. sacro* p. m. 232.

inbas

§. IX.

Colossarum sicut
ad Lycum fluvium.

In Phrygia maiori admodum celebres sunt fluvii *Lycus* & *Mæander*, a quorum tractu & alveo situs Colossarum recte describitur. *Gallus* flumen hos & reliquos Phrygiæ amnes superat nominis celebritate. Quia vero Colossas, non Phrygiam, describimus, de Gallo ne verbum addemus, Lycum & Mæandrum sollicitius investigaturi. *Lycus* fluvius *ποταμὸς εὐμεγέθης*, iustæ magnitudinis a Geographo vocatus, & fabulosis Græcorum carminibus inclutus est. *Marfiam* quoque eum dictum, sed tantum in urbe Celænarum, ad quam ex summo montis cacumine suum ortum trahit, at cum extra mœnia se evolvit, maioriq; vi & mole undas suas agit, Lycum nominatum, CVRTIVS Lib. III. c. I. tradit, quem SALMASIVS in *Exercit. ad Solin.* c. 40. p. 582. rectissime castigavit, ex aliis veterum testimoniis ostendens, Marfiam cum Lyco a CVRTIO misceri. MAXIMVS TYRIVS spectator utriusque fluminis fuit, Mæandri scilicet & Marfyræ, duosque hos fluvios ex uno fonte oriri, Phrygasque iisdem sacra facere, refert. Vid. CASAVBONVS ad *Strabon.* edit. nov. p. 865. Quæ fontis una origo forsitan occasionem præbuit errori, a CVRTIO commisso. Est itaque *Lycus* Phrygiæ flumen celeberrimum, quod a celeri rapidoque fluxu nomen rapacis *Λύκος* accepit: præterea & ad illos amnes refertur, qui sub terra per cuniculos suos ad certum spatium fluunt, inde rursus emergentes. Non solum apud OVIDIVM *Metam.* L. XV. v. 273. sed. & apud HERODOTVM L. VII. c. 30. legitur, per quinque stadia Lycum sub terra undas suas volvere, inde rursus emergere, sequæ in Mæandrum flumen infundere. STRABO idem confirmat L. XII. edit. ant. p. 578. nov. 867. Idem HERODOTVS Colossarum urbem eo locat, quo Lycus terra conditur, (*αὐτὸν ἐστὶν*) oculorumque visum fugit: id quod SAL. VAN TILL ignorasse videtur, alias & ex eo mappas Geographicas, Colossas ad confluentiam Lyci & Mæandri

andri ponentes, redarguere debuisset, v. *Comment. in quatuor epistolas S. Pauli p. 391.* Rectissime autem ex doctissimi SMITHI itinere observavit, Colossas ab hac confluentia distare longius, quam Laodiceam, SMITHVMque Hierapoli Colossas tendentem debuisse flumen Lycum traicere. Nec ignoravit hæc STRABO, quia Laodiceam, nequaquam vero Colossas, ad Lyci, Capri, & Mæandri, confluentiam locavit. L. XII. p. 867. Vt proinde Colossæ ad Lyci austrum & ab oriente Laodiceæ sint locandæ, eo quidem modo, ut tres maiores civitates, Hierapolis, Laodicea, Colossæ, triangularem respectum habeant, cuius basin Laodicea & Hierapolis conficiant. Teite enim SMITHO, Hierapolis ad septentrionem, Laodicea ad austrum, planitie quinque circiter mille passus lata interiecta, (quam interluit Lycus, Laodiceam tamen propius attingens,) sita est. vid. l. c. p. 35. Cum vero Colossis Laodiceam tenderet, iter septem horarum versus orientem conficere debebat. l. c. p. 39. Neglexit hæc CELLARIUS Cellarii geogr. ant. notatur. doctissimus; Colossas enim non solum ad confluentiam Mæandri & Lyci locavit, sed & Hierapolin ita descripsit, ut qui Hierapoli proficisceretur Colossas, non Lycum sed Mæandrum traicere deberet, quod SMITHO oculari testi repugnat. Idem STRABONIS quidem locum non nescivit, inque mappa sua TO METAËY. (Libr. 13.) ex parte observavit, nunc autem est ad SMITHI experientiam emendandus atque supplendus.

§. X.

Vestigia atque rudera Colossarum nobilissimus SMITHVS in clivo montis reperit, cuius accessus ipsi videbatur difficilis. v. *Notitia septem Asiae eccles. p. 39.*

De urbis magnitudine neque ex ruderibus, neque ex scriptorum monumentis, recte pronunciari posse, existimo. Rudera diu iacent prostrata, pulvere tecta, humo sepulta; cumque Amplitudo nobis.

que accessus ad ea sit difficilior, nemo viatorum ea sic lustravit, ut certum de antiqua urbis amplitudine iudicium ferre potuerit. Scriptores admodum variant. HERODOTVS & XENOPHON II. cc. vocant *πολιμ μεγαλην & οικουμενην*, STRABO & PLINIVS, simpliciter *πολιμ φρυγιας*.

Celebritas urbis.

Nec putarem ego, celebritatem urbis Colossarum fuisse adeo magnam, siquidem scriptores paucissima de ea commemorant, nec fere nisi in transitu: id quod mihi in memoriam revocat locum CVRTH, ubi Phrygiam pluribus vicis quam urbibus frequentem refert, L. III. §. II. Magna me tenet admiratio, cum tot numi Hierapolitanorum & Laodicenorum prostant, mē adhuc ne unum quidem reperire potuisse, nomine Colossarum insignitum; quod argumento est, Colossas neque adeo celebres neque amplas olim fuisse. Interim Colossensī agro sua neque fertilitas neque felicitas defuit. Laudat STRABO *lanam Colossensem*, quam Laodicea & colore & mollicie similem existimat: Sic enim Strabonis locum in mendo iacentem, ego quidem putarem intelligendum, (LXII. edit. ant. p. 578. nov. 867.) et si IAC. PALMERIVS nomen Celenensium audacter satis substituat.

§. XI.

Colossarum fata
sub Phrygiis Regibus.

Singula fata (*) Colossarum si referre luberet, ad ultimam usque Phrygiam origenem redeundum esset, de qua certi nihil constare, is facile sibi persuadebit, qui gentium populorumque origines admodum dubias novit. Paucis quidem, sed aptis verbis totam Phrygiae historiam condidit STRABO Lib. XII. edit. ant. p. 565. nov. p. 848. cui si credimus, Phryges Thracum sunt coloni, (p. 722. nov.) praeisique temporibus

(*) Quae de fati Phrygiae in hoc §. a me strictim narrantur, prolixius digeri potuisse, me nequaquam fugit: Quam multa enim de *Mide* nomine, pluribus Phrygiae regibus, immo vero omnibus commune, disputare licuisset? de bello Mithridatico? &c. Sed brevitatis pariter & utilitatis studiosus, peregrina & a nostro instituto nimis remota sicco pede transire debui.

ribus suos habuerunt reges, quorum celeberrimus est *Gordius*, a quo urbs Gordium nomen habuit, pariter ac vehiculum, in Iovis templo studiose servatum. Nodum Gordium quis ignorat? v. CVRTIVS L. III. c. 1. §. 14. 15. Hunc in regno excepit *Midas*, Gordii filius, qui avaritiæ suæ gravissimas penas luit, dum enim cibaria a Mida contacta in aurum conversa sunt, inædia ipse confectus interiit. Egregiam fabulam! qua plebs de damno avaritiæ more veterum Paganorum, erudiebatur. Nec ignotæ sunt aliæ fabulæ de Pactolo flumine auri divite, de auribus asininis Midia a Phœbo vindice appositæ, deque aliis proluxe a COMITE NATALI in *Myrbol.* L. IX. c. 15. expositis. Add. OVIDIVS L. XI. *Metam.* v. 100. seq.

Iudaicarum rerum scriptor IOSEPHVS, altius originem Phrygum repetit, a Gomaro scilicet, huiusque filio tertio *Thygramme*, a cuius nomine Phrygas olim *Thygrammaeos* dictos existimat. *Θυγραμμειοι δε θυγραμμαιοις, οι δοξαν Ελληνισι θυγρες ονομαθησαν.* Lib. I. *Ant. Iud.* c. 6. p. 21. edit. *Havercamp.* Sed hæc fidei IOSEPHI relinquimus.

Pulsis Phrygum ducibus, Colossenses paruerunt Regibus Sub Lydis. Lydorum, qui vicinas urbes & gentes vi armisque sub suam potestatem redigebant. *Crasus* rex Lydiae omnium ore celebratur, tam propter summas, quas possedit divitias, quam propter infelicissimum quem habuit vitæ exitum. Victus enim a Cyro Persarum rege, cum Phrygia nostrisque Colossensibus, in Persarum potestatem venit, v. HERODOTVS Lib. I. a cap. 75. ad cap. 90.

Meminit XENOPHON L. 8. *Instit.* Cyrum, rebus Sub Persis. Babilone compositis, satrapam regium, nomine Artacaman in Phrygiam maiorem misisse. Atque hi ipsi satrapæ regii subinde a Persarum regibus desciscentes, Phrygiæ multa damna inrulerunt, uti patet ex vita *Damamis* a CORNELIO NEPOTE eleganter descripta. v. L. XIV. c. 2.

Persarum regibus devictis, Colossæ imperio Alexandri M. Sub Macedonibus.

C

sub-

subiectæ, Macedonibus obtemperarunt. Quod si enim tota Phrygia Alexandro M. sese dedit, teste CVRTIO, unas Colossas restituisse nemo affirmabit. L. III. c. I. Post tristem Alexandri M. obitum Phrygiæ maiori præfuit *Antigonus* dux, simul & Pamphiliæ, Lyciæ & Lycaonia. Non multo post *Eumenes* a Perdicca Phrygiam accepit, una cum omni Asia, quæ inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, vid. CORNELIVS NEPOS L. 18. c. 3. Hoc interemto omnis Phrygia in potestatem regum *Syro-Macedonum* venit, donec tandem Romani, imperatore Scipione Africano, Antiochum vincerent, Phrygiamque & multas alias Asiæ minoris regiones cis Taurum, Eumeni regi Pergameno traderent, id quod anno Seleucid. CXXIV. period. Julian. 455. factum vulgo putatur.

Sub Pergamenis.

Inde Phrygia Pergameni Eumenis posteris & successoribus paruit, donec Mithridates Ponticus Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Phrygiamque invaderet, & sub iugum mitteret. Vid. APPIANVS *de bell. Mithrid.* p. 183. 184.

Sub Romanis.

Romani mox Mithridatem invaserunt, ex Asia minori sensim sensimque pepulerunt, ipsas vero Phrygiæ urbes *αυρονουσια* donaverunt. Qua de Phrygum *αυρονουσια* SPANHEMIVS *in orbe Roman.* p. m. 199. eruditissime commentatus est. *αυρονουσια* dicebantur, qui suo iure suisque legibus & institutis utebantur, etsi Romanorum potestati subiacebant. Hanc libertatem eximiam Romani bello Mithridatico decreverunt Phrygiæ, teste *Appiano* l. c. p. 208. Pompeio quidem Asiæ urbibus favente, v. PLVTARCHVS *in Lucull.* p. 506. Atque hæc acciderunt, ut mihi videtur, circiter anno septuagesimo vel sexagesimo ante annum Christi nativitatis.

Abhinc Colossæ totaque Phrygia maior habuit Proconsoles Romanos, quorum historiam uberius texere ab instituto meo abhorret: quippe ego, non Phrygiæ, sed Colossarum historiam condere annitor.

Gra-

Gravissima eaque penè ultima fata expertæ sunt Colossæ sub Nerone, Romanorum tyranno; (*) terra enim motu concussæ diu iacuerunt in ruinis, teste OROSIO L. 7. c. 7. *In Asia tres urbes, hoc est Laodicea, Hierapolis, Colossæ, terra motu conciderunt.* Factum inde est, ut a PTOLOMÆO Geographo Colossæ fuerint omisæ, observante HVGONE GROTIUS: nec reædificatæ videntur prius, quam sera admodum ætate, nomine tamen in *Cbonon* vel *Cbonas* mutato, uti supra §. 3. ex veterum monumentis docuimus. BARONIUS ex Theodoretii argumento in hanc epistolam adfert, fuisse Philemonis domum Colossis, eo quo Theodoretus vivebat tempore. Inde HVNNIVS & CALOVIVS coniectant, Colossas horribiliter quidem concussas, non autem penitus everfas fuisse: quo de effato penes alios esto iudicium. Observasse iuvabit, STRABONEM ex Lyci subterraneis alveis conclusisse, terram Phrygiam circa Colossas Laodiceamque perviam & terræ motibus facile obnoxiam fuisse, vicinasque urbes nobilissimas iterum iterumque dirutas & combustas, Cæsarium autem beneficio restitutas. L. XII. p. 867. Addit, cuniculos igni & aqua plenos ibidem non raros, solumque friatile & atritru facile, nulloque negotio inflammandum esse, indeque Mæandri ambages recte deduci. Quæ de fati & historia Colossarum restant, infra §. XIV. XVI. & XX. occurrent, quo lectores nostros benevolos ablegamus.

Philemonis domus superstes.

§. XII.

Priscis temporibus sola Phrygum gens Colossas incoluit. Incolæ Colossarum.
Constat autem, Phrygum ingenia fuisse tardiora, quæ in proverbium abierunt: *sero sapiunt Phryges*, præeunte LIVIO ANDRO.

C 2

(*) Conferantur *Centuriatores Magdeburgenses*, ad EUSEBII Chronicon provocantes. *Centur.* I. Lib. II. c. XII. p. 502. Observant iidem, anno Neronis decimo Colossas terræ motu corruisse, quem annum summi illi viri existimant anno Christi LXVI. respondere.

DRONICO tragico. Convenit in eos, quos factorum fuorum iusto serius pœnitet, iudice ERASMO *in adag. maior.* p. m. 635.

Phrygum mores
& ingenia,

Satisne recte omnis Phrygum gens tardioris ingenii accusetur, nunc non dispiciemus. Mihi quidem optime notum est, Phrygas obtusiores & serviliores ubique habitos fuisse. CICERO enim in *orat. pro L. Flacco*, *Phrygem plagis fieri meliorem*, non tam ex Romanorum, quam Græcorum & Asiæ-
rum ore perhibet. Mancipia autem non nisi plagis emendanda, barbari & servilis ingenii esse, probe observat ERASMVS I. c. p. 404. Addo Græcorum diverbium, *φρυξ ἄνδρα ἥττον Σπινθαξ*, laus hominis inelegantis & barbari. CVRTIVS narrat, Belonem per *αυτομασίαν* Phrygas & Paphlagonas dixisse, quos rusticos homines dicere volebat. v. L. VI. c. XI. §. 4. quibus *venales Asiaticos* ex CICERONIS *orat. V. in Verrem* recte addideris. Sed quicquid demum sit, e Phrygibus quoque acutioris indolis homines prognatos esse, historice loquuntur. Quis ignorat EPICETVM, sapientissimum & gravissimum morum doctorem? Quis nescit ÆSOPVM, lepidissimum & vaferrimum morum censorem? de quo PHÆDRVS in præf. ad L. III. recte retulit, Patriam sapientiæ suæ non obfuisse:

*Si Phryx ÆSOPVS potuit, si Anacharsis Scythes,
Æternam famam condere ingenio suo.*

Quis non laudat SIMPLICIVM, præstantissimum philosophiæ Peripateticæ præceptorem? TANTALVM alii, PELOPEM, & NIOBEN Phrygibus annumerant, sed incertis de causis, a STRABONE indicatis, L. XII. *edit. ant.* 571. *nov. p.* 827. Nec defuerunt Colossensibus ad Christum conversis viri, infra pluribus commemorandi & laudandi, e. gr. PAPIAS, APPOLLINARIVS, NICETAS, &c. *Vestes Phrygiana*, vel si codicum MSS. auctoritatem sequimur, *Phrygionia*, testantur quoque

quoque, Phrygas adeo ineptos non fuisse. Phryges quippe, teste PLINIO *L. 8. hist. nat. c. 48.* primi invenerunt, qua arte vettes argento & auro aliisque vividis coloribus acu distinguerentur. Egregium sane inventum, quod indolem populi caetera barbari ab iniuria, qua premitur, eaque longa, maximam partem vindicat. Nec possum, quin *lanam Colossensem*, data occasione, iterum commemorem. STRABO quippe *L. XII, edit. Paris. 578. nov. p. 867.* refert, Laodiceos in suis agris aluisse oves excellentissimas, mollitie lanarum Milesias superantes, nigri coloris ad corvorum nigredinem proxime accedentes, unde simul cum *Colossensibus* amplos reditus haberent. His terrae Phrygiae proventus addendae sunt *lapicidinae* Synnadici lapidis, ad Alabastritem lapidem accedentis: e quibus columnae & tabulae Romam ipsam perlatae, magni habitae sunt. Frat autem Synnada urbs non adeo magna, quam campus amplissimus *oleis* confitus circumdabat. v. STRABO *I. c. p. 865.*

De lana.

Tandem & laudandus venit Phrygum amor artis medicæ, quem comprobarunt, quod ad sanum *Cari* in pago Carura situm, *scholam medicam*, a Zeuxide postea & ab Alexandro Philaetha gubernatam habebant. STRABO eam vocat *διδακμαλειον* *Ηεροφιλειον* *ιατρων* *μυσα*, & cum Erasistratea, quæ olim Smyrnae floruit, schola Hicessii comparat. *L. XII. p. 869.* Nec ignotae sunt aquae calidae Hierapolitanae, de quibus SMITHVS *de septem Ecclesijs Af.* p. 36. refert, quod *Balneum*, unde scaturiunt, marmore candido stratum viderit, in quod columnae, quæ id olim circumambiebant, coniectae; Aquae autem continuo fluxu canaliculos sibi excacaverunt, quibus supergressae, albicantis terræ superficie in topium maxime fuerunt. Item converrunt.

Schola medica.

Mutata est Phrygiae facies, cum Iudaei multi iussu Antiochi, Seleuci nepotis, in Lydiam, Phrygiam ex Mesopotamia & Babylonia migrarent. Bis mille familiae iudaicae in duas has Asiae minoris ditiones, cum omni suppellectili, advenerunt, agros colendos domosque aedificandas acceperunt, suisque legibus

Iudaei in Phrygiam veniunt.

gibus Mosaicis, gaudentes *αυτονομια*, vixerunt. IOSEPHVS fervavit epistolam Antiochi ad Zeuxidem Patrem scriptam, huius migrationis Iudaicæ testem. Nac ingratum erit lectoribus nostris, eam totam legere.

Ει ερωσται, ευ αν εχοι, υγιανω δε και αυτος. Πονδανομενος τες εν Λυδια και φρυγια νεωτεριζοντας, μεγαλης επισροφης ηγησαμην τα μοι δεσδα και βελευσαμενω μοι μετα των φιλων τι δει ποιεν, εδοξεν εις τα Φερρια, και τες αναγκαλοτατες τοπες των απο της Μεσοποταμιας και Βαβυλονιας, Ιυδαϊων οικες διαχιλις συν επισκευη μεταγαγεν. Πειπεισμα γαρ ευνης αυτης εσεσδα των ημετερων φυλακας, δια την προς τον Θεον αυτων ευσεβειαν, και μαρτυρημενης δε αυτης υπο των προγονων εις πιστην οίδα και προθυμιαν εις α παρακαληση. Βουλομαι τοιυν και περ εργωδης οντος Ιβτες μεταγαγεν υποχομενος νομοις αυτες χρησθαι τοις ιδιοις. Οταν δ' αυτες αγαγης εις τες προειρημενες τοπες, εις τε οικοδομιας οικιων δωσις αυτοις τοπων εκασθ, και χωραν εις γεωργιαν και φυτειαν αμπελων, και ατελεις των εκ της γης καρπων ανησεις επι ετη δεκα. Μετρεσασαν δε, και αρχεις αν τες παρα της γης αρτες λαμβανωσιν, σιτον εις τας των θεραπονταν διατροφας. Διδουω δε και τοις εις τας χρειας υπηρετησι το αυταρκεις, να, της παρ ημων τυνχανοντες Φιλανθρωπιας, προθυμοτερες παρεχωσιν αυτες περ τα ημετερα. Προνοιαν δε ποιη και τς εθνης κατα το δυνατον, οπως υπο μηδενος ενοχληται.

Si vales, bene est, ego quoque valeo. Cum intelligerem quosdam in Lydia & Phrygia rebus novis studere, magnopere hoc mihi prospiciendum curavi, ac consultanti mihi cum amicis, quid facto sit opus, visum est in castella & loca, maxime necessaria transferre ex Mesopotamia & Babylonia Iudæorum bis mille familias cum eis *am suppellectili*. Credo enim nostrarum rerum custodes fore benevolos, tum propter eorum erga Deum pietatem, tum quia novi eis a maioribus nostris testimonium datum fidei & prompti obsequii in eis, ad quæ rogantur. Itaque hoc volo, quamvis eos traducere laboriosum sit, fide illis data, ut suis legibus uti permitterentur.

Cum

Cum autem eos in ea, quæ dixi, loca transtuleris, dabis singulis ad ædificandas domos locum, & agrum ad agriculturam vinearumque rationem, & immunitatem frugum terræ concedes in annos decem, ac donec terræ fruges perceperint, demensum frumentum accipiant in famulorum alimoniam: illisque detur, qui eis infervient, quantum opus erit, ut benigne a nobis habiti, studiosiores se rerum nostrarum præbeant. Da etiam operam, quoad eius fieri potest, ut ei genti a nemine incommodetur. Vid. Tom. I. edit. Haverc. pag. 599. L. 12. ant. c. 3.

Continent profecto hæc literæ laudes eximias populi Iudaici, cui etiam multo honori & usui esse debuerunt. Deinde, cum Romani rerum summa potirentur, eadem privilegia Iudæis in Asia minori degentibus servarunt, quamvis Græci Asiam incolentes sæpius Romanos rogarent, ut Iudæos, pecuniam ex Asia Hierosolymis deportantes, cultumque peregrinorum Deorum omnium abominantes pellerent. Augustus imperator autem edicto prohibuit, ne quis Iudæis molestiam crearet, *αυτονομίαν* iis concessam ne læderet, sacram pecuniam collectam Hierosolymas mittendam ne auferret. Edictum legitur apud IOSEPHVM L. XVI. *Ant. Iud.* c. 6. §. 1. edit. Haverc. p. 799. Nec quieverunt Asiani, sed sub Marco Agrippa denuo Iudæos veteri odio adorti, pellere studuerunt. Restitit conatibus ipse Agrippa, ac insuper Iudæis concessit, ne quis Prætor Iudæum Sabbatis compelleret ad vadimonia præstanda. v. IOSEPHVS I. c. p. 800. & L. XII, c. 3. p. 597. Quinimo Vespasianus & Titus, licet longa bella cum Iudæis gesserunt, iisdem tamen in Asia minori pristinas immunitates magnanimi concesserunt. Atque sic constabit, quare S. Paulus Apostolus in epistola ad Colossenses de Iudaicis rebus, horumque erroneis doctrinis subinde mentionem fecit: quia scilicet multa Colossensium civium pars, Iudaicæ religioni addicta, atque ex hac ad Christianam traducta fuit. Coloss. II, 16 18.

Cate.

Cur Iudæos De-
us per omnem
terrarum dissipavit?

Cæterum, non possumus non admirari divinam sapientiam, quæ Iudæorum infortunatam dissipationem ad optimum finem direxit. Recte me illam dissipationem dixisse infortunatam, concedet, qui novit, Palæstinam Iudæis patriam a Deo datam, quique divinarum comminationum de eiciendis ex Canaan & per omnes populos dissipandis Iudæis meminerit. Deut. XXX, 18. c. XXVIII, 63. 64. Eam vero ad optimum finem dirigendam fuisse, docuit eventus; Siquidem a Iudæis, inter omnes fere gentes viventibus, gentium animi ad accipiendum Evangelium præparati fuere. Gentes idolis deditæ, Iudæorum religionem nauci floccique habuerant prius, quam eam cominus conspexerant: imo vero etiam omnem populum Israëliticum abominati fuerant ante, quam ingenia moresque eius cognoverant. Difficilior aditus illa ætate patuisset ad gentes apostolis, e Iudæorum profapia oriundis: difficilior fuisset conversio gentium, populum Iudaicum pariter & eorum religionem plane ignorantium atque spernentium. Nunc autem iis nec adeo ignotæ erant Iudæorum cærimonix, nec adeo exotæ, postquam per omnem terram Apellæ dissipati *αυρονομια* obtinuerant, suisque institutis vivere poterant. Dissersum populi Iudaici dixerim itaque ego præcursorem evangelii, qui per totum terrarum orbem ortum lucis annunciare, animosque ad promptius audiendum Dei verbum præparare debuit.

§. XIII.

Religio Colof-
sensium gentiliis.

Colossenses eandem idololatriam, quam omnes Phryges, sine dubio commiserunt, priusquam ad verum Deum colendum ab Epaphra adducti sunt. Constat autem inter idola sua habuisse *Cybele* Deam, matrem Deorum, Saturni uxorem: Quam *Rbeam*, *Magnam Deorum matrem*, *Vestam* antiquiorem, *Bonam Deam*, *Pessuntiam* Deam, *Ileam* ab Ida monte, *Berecynthiam*, *Dyndimenen*, a Dyndimo monte Phrygiæ, *Sipylenen*, &c. nominant.

Cybele Dea.

nominant. Pingitur ut matrona honesta, turritam coronam capite gerens, clavem manutenens, curru a bovis tracto infidens. Reliqua, quae de *Gallis* Reæ sacerdotibus, de *Megalesiis* festo in eius honorem habito, de *zympanis* & *cymbalis*, quorum strepitu in sacris suis cohonestabatur, de *tibiis Phrygiis* modoque Musicorum Phrygio, deque aliis huc pertinentibus dici poterant, Mythologis & Poëtis concedimus, ne extra oleas vagari videamur. Laudamus & allegamus PITISCI *Lexic. antiq. Tom. I. p. 621. KIPPINGII Antiq. L. I. c. 2. §. 7. GVTHBERLETHI Oper. Tom. II. p. 129. 136. GYRALDI Synt. deor. L. IV. p. 142.* aliosque quam plurimos, e. gr. NIEVPORTIVM, POMEYVM, NATALEM COMITEM, ex antiquis ARNOBIVM, LACTANTIVM, AVGVSTIVM, &c.

Hanc ipsam Cybelem a Colossensibus & Laodicenis cultam fuisse, SALOMO van TILL recte affirmat ex numis Laodicenorum, in quibus Dea mater conspicitur. v. *comment. in quatuor Epist. Paulin. p. 321.* Provocat ad numum Sabinæ, a Laodicenis cusum, in cuius averfa parte Mater Deorum conspicitur capite velato, modium capiti impositum gerens, succincta intra mammas, ad pedes duas Leænas habens, cum Epigraphæ: ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΛΑΟΘΙΚΕΩΝ.

Post Cybelem, summa superstitione *Attin* coluerunt Phryges, de quo iuvene formosissimo fabulæ ferunt, Cybelen, cum videret *Attin* nymphae Sangaritudis amore nuptiisque detentum, furorem ei immisisse, ut pudenda sibi ipsemet amputaret, ne scilicet cum alia concumbere posset. Nelo singula referre, Christianis auribus molesta, v. VOSSIVS *de idololatr. L. II. 53. ROSINVS in Ant. Rom. L. 3. 27. PITISCVS in lex. sub voce Gallus. CLASENIUS Theol. gent. L. 3. c. I. in Gronovii thes. ant. Tom. VII.* Vnum hoc observasse iuvabit, sacerdotes Cybeles & *Artidis* se ipsos exsecuisse, Gallosque dictos fuisse. Hinc AVGVSTINVS de civit. Dei L.

VII. 26. *At vero ista magna deorum mater etiam Romanis templis* (nam Scipio Nasica simulacrum Deæ Phrygiæ Romam Pessinunte duxerat, v. AMM. MARCELLIN. L. 22.) *Castratos intulit, atque istam sevitiam moremque seroavit, credita vires adiuvare Romanorum, exsecando virilia virorum.* Hiscæ idolis iungimus cum SALOMONE van TILL simulacrum *Iovis*, Cybeles filii, siquidem in numi Hadriani parte aversa cernitur Iupiter stans, sinistra sceptrum tenens, dextræ autem exporrectæ insidet aquila, cum epigraphe: ΛΑΟΔΙΚΑΙΩΝ. Eodem modo Iupiter conspicitur in alio numo, cuius inscriptio est: ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΘΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, vid. l. c. p. 321.

Dubium non est, Colossenses etiam aliis diis deabusque, pro more idololatrarum, litasse, de quibus pauca hæc nobis constant. Inter Laodiceam & Cararam pagum, limitem Carriæ & Phrygiæ, sanum fuisse τῆς ΜΗΝΟΣ *mensis* (qui ΚΑΡΟΣ *Carus* dictus) multa cærimonia & veneratione cultum, memoriam prodidit STRABO L. XII. p. 869. Qui insimul scholæ cuiusdam medicæ ad hoc templum extructæ memoriam servavit, de qua §. 12 egimus. Possunt inde exponi, quæ in *Græcorum Menæis* de hoc idolo narrantur. Pii scilicet martyres, *Philemon*, *Archippus*, & *Appia*, ab Androclo, Ephesi præside, iubebantur sacrificare τῷ εἰδωλῷ τῷ καλυμμένῳ ΜΗΝΑ. Id cum recusarent, gravissimo supplicio martyrioque perierunt, vid. *Menæa* d. 22. Nov. p. 178.

Habuit etiam *Agæmis*, *Diana*, templum suum Colossis, in quo cum aliquando Græci convenissent die Dianæ facto, pii martyres Philemon & Archippus & Appia, media in templi nave verum Deum capere & laudare cæperunt, gentiumque idololatriam recusarunt. v. *Menæa Græcorum* d. 22. Nov. p. 178.

De *Apolline*, Hierapoli olim culto, non inique cogitat SMITHVS *notit. septem eccles. Asia* p. 36. Cum enim aquæ calidæ urbi Hierapoli multam celebritatem olim conciliarent, a vero proximum est, Apollinem medicorum Deum ibidem adora-

adoratum fuisse. Vidit etiam laudatus Anglus in ruderibus Amphitheatri ornamentum portæ, cui inscriptum erat : ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓ. Confirmantur hæc ex DAMASCIO apud PHOTIVM, qui templum Apollinis ad Plutonium Hierapolitanum ædificatum retulit.

De *Baccho & Plutone*, ab Hierapolitanis culto, certiores nos reddit numus antiquus, in cuius averſa raptus Proſerpinae exprimitur, in priori Bacchi caput hedera condecorati. v. BEGERI *thesaur. Brand.* tom. I. p. 505. En tibi brevem delineationem miserrimæ illius conditionis, qua Colossenses prius, quam nomina sua CHRISTO dabant, premebantur. Bacchus & Pluto. Quam vere dixit itaque Paullus, Deum Colossenses ex potestate tenebrarum eripuisse : ος ερευσταο ημας εν της εχθρας τς σκοτης. Vfus nostræ observationis in interpretatione epistolæ Paulinæ ad Coloss. Col. I, 13. Ad quæ verba b. BALDVINVS egregie commentatur : *Intelligit Paulus noster per potestatem tenebrarum omnem conditionem hominum sub statu peccati ante conversionem, qui sane est miserrimus. Quemadmodum enim in tenebris neminem agnoscimus, nullas formas discernimus, ingratum, pro grato accipimus, nusquam firmiter consistimus, incerti vagamur nec sine offensa ambulamus : Sic & ante conversionem homo non recte cognoscit Deum, non discernit falsam religionem a vera, ignorat verum Dei cultum, sibi ipsi viam quærit ad vitam; sed ubique offendit.* v. *comment. in epist. Paulin.* p. m. 1048. Hoc tenebrarum regnum in nulla alia re magis, quam in idolorum veneratione observatur. Cogita enim, quot & quales Deos Deasve cæca Colossensium gens olim adoraverit, quot & quantas hostias iisdem mactaverit, nec ullus harebis affirmare, fuisse hanc tenebrarum potestatem, a qua per veri DEI misericordiam liberata tandem fuit.

§. XIV.

Apostolis IESU omnem terrarum orbem peragrantibus, Conversio Colossensium ad Christum. Asia minor fuit fere præcipua, quam sanctissima religionis Christianæ luce collustrare, & ab avita superstitione profanisque

que ritibus avocare studuerunt sancti illi nuncii. v. Act. XIX, 10. In hac Phrygiam fuisse sitam, supra docuimus: quo factum est, ut & hæc felicitatem illam, qua omnis Asia minor gaudebat, obtineret, feliciterque sacra Christianorum amplecteretur.

De tempore
conversionis.

De tempore huius conversionis non liquet, nisi quod coniectando assequi contigit. Cum Apostolus S. Paullus Romæ in vinculis, iisque primis, teneretur, ecclesie Colossensium & reliquarum Phrygiae urbium iam dudum collectæ erant pariter & firmatæ. In his enim vinculis, quam manu tenemus epistolam ad Colossenses scribit, in qua fidem constantiamque eorundem laudat; quod luculento est testimonio, ecclesiam Colossensium ante primam S. Paulli captivitatem, fuisse ab Epaphra fundatam, hoc est, ante Neronis aram, cuius regni primus annus cadit in A. C. LVIII. Est præterea verisimile, Colossenses illo, quo S. Paullus Ephesi tres annos commorabatur, Act. XX, 31. nomina sua Christo nondum dedisse, quia Paullus neminem Colossensium de facie conspexerat, cum nostram epistolam exararet, Col. II, 1. Cum autem facillimus fuisset Colossensium excursus ad Paullum Ephesi degentem, quippe qui ab Ephesiis erant proximi, sæpiusque cum his in idem *κοινων της ασιας* convenissent, verisimile est, tunc temporis nondum conversos fuisse Colossenses, quia absque dubio Paullum vissent atque vidissent. Cadit autem annus tertius, isque ultimus, quo S. Paullus Ephesi commoratus est, in annum Claudii XII. qui est A. C. LIV. Vnde coniicimus, Colossenses ante A. C. LIV. conversos non fuisse. His rite supputatis, constat, Colossenses ad Christianorum castra transisse intra quadriennium, ab A. C. LIV. incipiens. Nihil itaque superest, quam ut præcise annum conversionis, qui A. C. LVIII. non excedit, definiamus: id quod nostras vires superare, candide fateamur, quadriennio hoc feliciter detecto, contenti.

Equi-

Equidem diu ante S. Paullus fuerat in Phrygia & Galatia, teste Luca, Act. XVI, 6. prohibente autem Spiritu divino, ne hisce terris doctrinam Christi annuntiaret, Colossenses neque adit neque vidit. Sed cur quaeso Deus Colossenses illo tempore ab Evangelio arcuit?

Qui *absolutum decretum* (ut loqui solemus in scholis) ^{De absoluto decreto ad Act. XVI, 16.} affirmant, gratiam vero divinam universalem negant, sepius tamen ad Act. XVI, 6. provocant, ut inde confirmet, vocationem ad ecclesiam ab absoluto Dei decreto, populo huic gratiam negante, illi donante, pendere. Sic IO. BRAVNIVS, non omnes esse in federe gratiae probaturus: *Christus prohibuit*, inquit, *ne Apostoli abirent in vias gentium*, Matth. X, 5. *Et ne gratiam Dei annuntiarent in Asia*, Act. XVI, 6. 7. v. *doctr. federe*. p. 419. Eandem sententiam CASP. STRESO, Anhaltinus, tenuit, nisi quod cogitata sua alijs multo subtilioribus, idem tamen significantibus, verbis expresserit: *Deus non impedivit cursum Evangelii, dum impedivit, ne Paullus in Asia praedicaret Evangelium, sed potius promovit. Hoc enim est promovere cursum Evangelii, cum eo mittitur evangelium, ubi CONSILIUM Dei fert, ut evangelio BENEDICATUR*, v. *Comment. ad Act. tom. I. p. m. 575.* Existimant igitur Calviniani crassiores, Deum noluisse Colossensium conversionem, ideoque Apostolos ad Phrygiam prohibuisse, ut sic pateret, Deum servare & perdere velle pro absoluto quodam decreto & beneplacito. Ingenuè profiteor, me viros caetera doctos mirari, quod sophisticam suam strophem, petitionem puta principii, non animadverterint. Quod si enim darem, Deum prohibuisse, (quod revera distulit modo) quaestio tamen manebit, num ex absoluto decreto prohibuerit? Haec etenim est quaestio, quam ob causam Deus illud prohibuit? Calviniani causam in absoluto decreto, nos vero in voluntate Dei consequente quaerimus. Ex antecedenti voluntate, qua omnibus hominibus bene cupit DEVS, Colossensibus Evangelii annunciationem non

negabat, sed ex consequenti, qua illis dona sua offert, quos eadem amplexuros praevidet. Ceterum DEVS non prohibuit absolute, sed distulit in commodiora tempora. Deus nempe omniscius vidit, Phrygas illo tempore Evangelio credituros non fore: ne itaque Apostoli operam perderent, ablegavit eos interim in Macedoniam, ubi semen verbi Christi Iesu lactissimam messem pollicebatur. Recte hinc b. GERHARDVS distinguendum censuit *inter gratiam vocationis negatam, & dilatam, minimeque ex vocationis dilatione inferendum, quod gratiosa Dei omnium hominum salutem desiderantis vocatio non sit universalis.* V. *comment. ad Act. XVI, 6.* p. 458. Confimili ratione b. DANNHAVERVS respondit: Distingue inter vocationem negatam & retardatam: inter vocationis substantiam & circumstantiam morae, gradus, ordinis, &c. vid. *bodamor. Calvin.* p. 1931. (*)

Explicatio Act.
XVIII, 23.

Venit posthæc S. Paullus in Phrygiam & Galatiam, Act. XVIII, 23. Christique assecras in fide confirmavit, more medicorum, pharmaca confortantia ægrotis propinantium; ἐπιστηρίζειν enim hanc emphasin secum fert. Quia vero S. Paullus in epistola ad Colossenses cap. II, 1. conceptis verbis asserit, se neque Colossis neque Laodiceæ fuisse, prona est coniectura, loco citato per φρυγιαν vel minorem Phrygiam a Paulo frequentatam, vel maioris partem Borealem Galatiæ vicinam, esse intelligendam. Erravit itaque GENTIANVS HERVERTVS, Theodoretæ interpres, recte sic iudicante CALOVIO, in *bibl. illustrat.* tom. IV. p. 797. quod in argumento epistolæ præmissæ, Paullum iam antea Colossenses vidisse & docuisse retulit. Erravit & ipse THEODORETVS, qui ex eodem loco, Act. XVIII, 23. concludere voluit, Paullum antea Colossis quoque

(*) Omni hac disputatione carere potuissimus, si eum THEODORETO facere, Paullumque Asia, non Phrygia, exclusum credere voluissimus. Sic enim: ἔτι εἶποι, inquit, τίς αἰ, ὡς ὑπὸ τῆς θείας ἐκκλησίης ἡ χάρις τὰτο πρῆξεν. Περιμένει γὰρ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Βιθύνιας εἶπειν ὁ μακάριος Δεκάς ἐκκλησίαν αὐτῆς το Πνεύμα ἁγίου. Παρὶ δὲ τῆς τῆς Φρυγίας ἄδει τοῖς τοῖς εἶπειν.

quoque fuisse: sed ut hoc cum Col. II, 1. conciliaret, fingit, Paullum, cum hanc ad Coloffenses epistolam scriberet, praecipuas Phrygiae urbes nondum vidisse, etsi in Metropoli, Laodiceae, evangelium praedicaverit. Quam rationem recte dixeris infirmam, cum TILLEMONTIO, *memoir. de l'hist. eccl. rom. I. p. 605.* Vnde enim THEODORETUS dicta sua confirmat? Nonne Paullus ipfos Laodiceos metropolitanos iis, quos nunquam viderat, annumeravit? Col. II, 1.

§. XV.

Non per ipsum S. Paullum, sed per EPAPHRAM, Coloffenses ad Christum adductos esse, ex Col. I, 7. haud immerito colligitur, ubi Apostolus affirmat, Coloffenses ab Epaphra didicisse, quae de fide & amore Coloffensium antea praedicaverat, v. 4-6. Consimili ratione c. IV, 12. Epaphras laudatur a summo zelo & studio, quo in omnes Phrygiae Pacatiana incolas, Coloffenses puta & Laodiceos & Hierapolitanos ferebatur. Nec est, ut miremur, hominem, in Apostolorum ordinem non allectum, tanto cum successu evangelium Coloffensibus annunciaſſe. Erant enim Apostoli, iudice WALONE MESSALINO, (sive Claudio Salmasio) de *Episc. & Presb. p. 40.* duplicis generis. Alios miserat ipse Iesus *αποστολος*; alios miserant ii, quos Iesus ad Apostolatam vocaverat. Hi secundi ordinis Apostoli erant *συνεργοι*, quorum ope & ministerio Apostoli in docendis & confirmandis gentibus utebantur, uti *Timotheus, Tirus, Lucas, Linus, Marcus, Ioannes, Epaphroditus*, nosterque EPAPHRAS. Sic *Epaphroditus*, Phil. II, 25. dicitur Philippenſium *αποστολος*, quia Paullus eum miserat ad ecclesiam Philippenſem confirmandam, presbyterosque in ea constituendos. Sic Paullus 2. Cor. VIII, 23. Titum & alios fratres vocat *αποστολους ευαγγελιστων*. Sic *Timotheus* a Paulo nunc Ephesum, nunc Thessalonicen, nunc Corinthum, mitterebatur, ut singulas ecclesias has peragraret, in fide & doctri-

Conversionis
auctor S. Epaphras.

Epaphras, Apostolus.

Phil. II, 25.

2. Cor. VIII, 23.

na confirmaret, atque sic Apostoli munere probe defungere-
tur. Non dubito, EPAPHRAM his Apostolis adnumerare,
quia munus Apostolicum inter Phrygas, inprimis & Colossen-
ses, felicissime obiit. Vocatur ideo S. Pauli συνδλος, conser-
vus, isque αγαπητος, Col. I, 7. nec non δλος κρητη, Col.
IV, 12. quem titulum alias Paullus sibi & reliquis Apostolis
vindicat; denique & πιστος διακονος τη κρητη inter Colossenses,
Col. I, 7. qui tituli singuli de Epaphræ apostolatu aperte satis lo-
quantur.

Epaphras non
est idem, qui
Epaphroditus.

Est longa disputatio inter eruditos, sitne EPAPHRAS
idem qui *Epaphroditus* a S. Paulo laudatus. Phil. II, 25. Sunt
qui affirmant, sunt qui negant. HVGO GROTIUS ad l. c.
putat, Epaphroditum contracte επαφρας vocari, nam in eum
modum contrahi nomina dixerat in *presamine ad Lucam*. Re-
petit opinionem suam GROTIUS in *presamine ad annotata in*
epistolam ad Colossenses, nec non ad Coloss. I, 7. ubi nomen
δημητριος contracte δημας pronunciatum addit. Pluribus sen-
tentiam GROTII ornare studuerunt ABRAH. BERCELI-
VS in *pres. ad Epicteti enchir.* & CAR. DAVBVZIVS L. I. *de*
testimonio Christi apud Iosephum part. 3. s. 8. seqq. nec non alii,
quorum nomina citare non libet, e. gr. FABRICIVS in *luce*
salutari, c. 5. p. 86. His obviam iverunt viri doctissimi, quos
inter CALOVIVS in *bibl. illustr.* tom. IV. p. 796. ITTIGI-
VS in *historia eccles. sæculi primi* p. 371. nomina sua professi
sunt. Nec & ego intelligo, quibus argumentis Grotiana
coniectura satis confirmari queat. Legi & relegi DAVBV-
ZII apologiam, sed nihil certi in ea deprehendi, nisi quod hy-
pothesi suæ, de adulatione Iosephi erga Epaphroditum, ubi-
que servierit. Afferuerat scilicet, FL. IOSEPHVM ideo ho-
norificentissimum de Christo tulisse testimonium, quia librum
suum de antiquitatibus Iudaicis suasu & autoritate *Epaphroditii*,
hominis Christiani, Neronis liberti, conscripserat, cui & eun-
dem dedicasset. Atque hunc ipsum esse Epaphroditum, cu-
ius

ius S. Paullus Phil. II, 25. meminit, exinde DAVBVZIVS probare satagit, quia uterque servus, uterque Phryx, uterque in Neronis regia notus. Hoc ut denuo confirmaret, necesse habebat, ut in GROTHII partes abiret, Epaphramque cum Epaphrodito commiseret. Rationes a GROTHIO & DAVBVZIO allatæ sunt pauciores, earque infirmiores, ad quas brevissime respondebo. 1.) Etsi concedam, nomen *επαφροδιτου* contracte *επαφραν* sonare posse, inde tamen, præter possibilitatem, probatur nihil: nos autem de facti probabilitate seu verisimilitudine disputamus, non de possibilitate. 2.) Phrygas ut plurimum servos fuisse habitos, supra §. 12. ipsimet docuimus: sed quis inde temere concludet, Epaphram Neronis libertum fuisse, quia gente Phryx? 3.) Sufficit, inter Epaphroditum & Epaphram intercessisse discrimen satis magnum, tam intuitu nominis, de quo iam monui, quam intuitu patriæ & officii. Epaphroditus enim apud Philippenfes, Phil. II, 23. c. IV, 18. Epaphras autem apud Colossenses, Col. I, 7. c. IV, 12. & quidem uno fere eodemque anno captivitatis S. Paulli primæ, habuit rem suam, munus & officium: tandem Epaphroditum Philippenfes, Phil. IV, 18. Epaphram Colossenses miserant. Atque hæ rationes reddunt verisimilius, Epaphram alium fuisse quam Epaphroditum.

Cæterum multis laudibus EPAPHRAM condecoravit S. Paullus Apostolus. Laudat eum a *fidelitate*, quæ magistri atque doctoris summa virtus est, Col. I, 7. quamque Colossensibus vel ideo commendat, ne putarent, Epaphram vel non omnia, vel non eo, quo S. Paullus modo, ipsis annuiciasse doctrinam Evangelii. Laudat eum a singulari *amore*, quo in Colossenses ferebatur, Col. IV, 12. nec non ab ardentissimis *precibus*, quibus apud immortalem Deum pro ipsis intercedere solebat. Laudat eum a singulari *zelo* & fervore, quo salutem Colossensium promovere annitatur. Col. IV, 13. Nec tacet, Epaphram Colossenses sibi de meliori nota commendasse, studiumque

E

diumque

S. Epaphræ laudat.

diumque fidei & pietatis eorundem sibi laudasse, Col. I, 8. Quod Colossensibus omnino gratum esse debebat, si tantum in Epaphra patronum rerumque suarum defensorem, apud Apostolum in vinculis detentum, invenerant. Qui vero factum sit, ut Epaphras Romæ cum Paulo vinculis confringeretur, *Philem.* v. 23. in proparulo non est: interim hæc ipsa vincula Epaphræ summo honori fuerunt. Si *Martyrologio Romano* credere fas est, Epaphras ut Colossensium episcopus *d. XI X. Jul.* martyrium in urbe patria passus est, ibidemque sepultus. BARONIVS omni nisu contendit, exuvias S. Epaphræ hodie- num Romæ affervari, & quidem in templo S. Mariæ maioris. v. TILLEMONT. *memoir. eccles.* tom. I. p. 310.

§. XVI.

Ecclesiæ Colossensium status felicissimus.

Erāt ecclesiæ Colossensium status olim felicissimus Deoque gratissimus, quippe quem S. Paullus non uno nomine celebrat. Extollit multis laudibus Colossensium *fidem, caritatem, & spem*, c. I, 4, 5. quæ tria a Christiano homine præcipue requiruntur, teste ipso Apostolo, I. Cor. XIII, 13. Falsis Apostolis, legem cum Evangelio turpiter commiscentibus, mascule resistebant Colossenses, inque vera fide firmissime perseverabant, c. II, 6, 7. Vt omnia rite, tempore & ordine suo fierent, sedulo curabant. c. II, 5. Baptismi vim & efficaciam, c. II, 12, 13. vitam & mortem cum Christo spirituales, c. III, 3 in iisdem commendat Apostolus: quibus singulis patet, Colossensem ceterum non immerito a nobis felicissimum prædicari.

§. XVII.

Doctores ecclesiæ Colossensium.

Onesimus.

Accedit, quod & ministros doctoresque ecclesiæ habuit clarissimos pariter ac fidelissimos. Talis erat EPAPHRAS, cuius laudes antecedenti §. XV. enarravimus: ONESIMVS, patria Colossensis, teste Apostolo, c. IV, 9. gente Iudæus, Col. IV, II. Philemonis servus olim valde inutilis & ab hero suo pro-

profugus, epist. ad Philem. v. II. 15. 16. Roman dilapsus ad Paulum venit, ibidem ad Christum conversus v. 10. tandem a Paulo Colossas & ad Philemonem remissus est. Col. IV, 8. 9. Philem. v. 12. Cæterum non possumus, quin celebrem quaestionem, data hac occasione ventilemus, cur Deus nonnunquam facinorosos olim pessimosque homines postea elegerit apostolos verbiq; præcones? Servus inutilis & ab hero suo profugus fuerat *Onesimus*, qui, nisi furti, saltem iniustitiæ atque turpis defraudationis crimine sese polluerat. Philem. v. II. 18. De evangelista S. *Mattbæo* constat inter omnes, quod publicanus fuerit ante conversionem, id est, homo malæ frugis, omnibus excosus, multaque nequitia obrutus. Matth. IX, 9. Apostolum *Paulum* ne huc referam, prohiber morum castitas, cui ipse pro Phariseorum studio olim indulgebat: ipsæ cædes Christianorum, opinione meriti rectique ab eo decernebantur: cæterum, quod ante conversionem vitiis deditus fuerit, confirmari non potest. Contra de S. *Augustino* notissimum est, quam flagitiose vixerit prius, quam ad Deum conversus. Lacrimæ matris S. *Monicæ* id testantur, quas pro filii emendatione ad Deum fudit, de filio lacrimarum tandem ad fruges redeunte gavisa. Nec plura desunt exempla eorum, qui olim scelestissimi, tandem in promovendo & urgendo Dei opere promissimi fervidissimique, *proverbio* ansam dederunt parum honesto in nostrum ordinem. Hoc consilio cur Deus utatur, sequentes forsitan rationes subsunt. 1.) Vult Deus in hisipsis doctoribus edere *μακροθυμίας* suæ exemplum, piis omnibus plenum solatii. Sic enim Paulus: *δια τούτο εληθην να εν εμοι πρωτω ενδειχθηται Ιησους Χριστος ΠΑΣΑΝ* (summam & eximiam, v. *Reverend. Rabbelius* in annot. ad Nov. Test. ex Polyb. pag. 395.) *ΜΑΚΡΟΘΥΜΙΑΝ προς υποσυπασιω (sive OECUMENIO interpretate, προς αποδειξιν, προς παρακλησιω) των μελλοντων πιστευειν επι αυτω εις ζωην αιωνιον.* I. Tim. I, 16. ad quæ verba theologus *Liphensis*

Cur Deus malos homines nonnunquam elegit ministros verbi?

phensis antiqua fide & religione, GE. WEINRICHIUS commentatur: *Vult Deus vram quoddam lenitatis suæ exemplum, quo cuiuscunque ordinis & sexus homines ad respicientiam invitaret. Quid enim prodesset predicare Deum clementem & misericordem, si non etiam evidentissimis misericordiam suam documentis & statam faceret.* comment. ad. l. c. p. 38. 2.) Vult Deus in his docere, vocationem ad ministerium non pendere ab hominum dignitate, sed a Dei miserentis gratia. Non eo hæc dicta volumus, quasi impiam vitam in Academiis agentibus apologiam scribere, vel morum improbitati colorem iudicare vellemus: Vtinam omnes vitam sacro futuro munere dignam degerent! Vtinam ab utero Deum pia mente colerent, qui alios ad colendum DEVM admonere debent! Ne quid dicam de misera hominis impii conditione, non raro vita anteacta ad auditorum aures pervenit, obicemque non levem sanctis laboribus ponit; ut taceam, quid morsus conscientiae facrum oratorem, vitia in aliis taxantem, torquere possint, & quam graves eum maneant pœnæ, qui divinam vim verbique efficaciam eludit. Psalm. L, 16. 17. Interim nec in eorum partes concedimus, qui neminem nisi semper probum sacro munere recte functurum existimant: hos enim Deus confutat exemplis doctorum olim malis, nunc respicientibus & multo cum fructu in Domini vinea operantibus. *Ministerium non est contemnendum, eo quod ex vilibus constet personis, qui & ipsi peccatores sunt. Ita enim placuit Deo, non per angelos, sed per peccatores, alios ad se docere peccatores, NEQVID HOMINVM SANCTITATI tribuatur, sed quicquid ibi proficitur, DEI MISERICORDIÆ AC BONITATI feratur acceptum.* BALDVINVS comment. in epist. Paull. p. 1270. 3.) Admittit Deus hos subinde doctores ecclesiae, quia pro divina sua omnium rerum scientia intelligit, in impiis postea conversis nonnullas egregias dotes, sacerdoti maxime congruas, per Spiritus S. gratiam facilius produci posse; Superbia Deo est abo-
mina-

minationi, 1. Petr. V, 5. inprimis in theologo sacris operante; oritur autem superbia ex nimia confidentia suorumque meritum æstimatione, quæ certe ab homine, vitæ suæ ante male actæ semper memore, erit longe remotissima. En tibi S. Paullum, σκευος illud gratiæ electum! Sæpe commemorat quidem, necessitate & fratrum falsorum calumniis coactus, sua in ecclesiam merita, suos labores, sua pericula: 2. Cor. XI. & XII. semper autem eam modestiam humilitatemque præ se fert, ut fere nunquam non pristinorum peccatorum meminerit, seque omni divina miseratione indignum pronunciaverit. 1. Cor. XV, 9. Fieri non potest, quin & illi doctores ecclesiæ pari humilitate munus sacrum administrent, qui semper in se habent monitorem & nomenclatorem satis quidem tristem, satis tamen & utilem. Nec dubium est, eosdem maiorem diligentiam adhibituos fore, quippe qui nondum oblitæ, quantam temporis viriumque iacturam antea fecerint, quam ἀχρηστων δαλων personas exuerant. Summo denique iidem studio cavebunt, ne in pristina crimina relabantur, ne gratia divina excidant, ad perfectionem potius cum Paulo tendentes. Phil. III, 12. 1. Cor. IX, 24. Demum divina sapientia patet, qua motus Deus nec eos a sacro munere arcet, qui sæculo genioque olim indulgentes ad fruges tandem redierunt, seque sacro muneri consecrarunt. *Iustus est Dominus in viis suis omnibus.*

Sacræ historiæ antiquiores plura de *Onesimo* narrant, a Onesimi mune-
ra, fata, martyri-
um. fabulis non adeo remota, vel saltem sibi invicem adversa. In *Constitutionibus Apostolicis* L. VII. c. 46. *Onesimus* dicitur *Episcopus Bæræ apud Macedonas*, sed ab *EVSEBIO* L. III. 36. salutatur *Ephesorum doctor & pastor*, quemadmodum & in *Martyrologio Romano* d. XVI. Febr. *Episcopis Ephesinis adnumeratur*. Possent tamen, ne quid celemus, hæc sibi adversa conciliari, si *COTELERIO rom. I. patr. apost. p. 399.* subscriberemus, qui duos eiusdem nominis *Onesimos* existisse coniecit,

E 3

Bæræ

Beræensium alterum, alterum Ephesiorum doctorem. De Onesimo Ephesino luculentus est *IGNATHII Locus epist. ad Ephes. p. m. 27. edit lxxij.* ubi eum *τον εν αγαπη αδιηγητον* vocat, Ephesiosque felicissimos putat, quod digni fuerint, quibus *τοιςτος επισκοπος* obtingeret. *EVSEBIVS L. IV. 26.* refert, Melitonen Sardansem literas de numero & ordine V. T. librorum, sive de canone V. T. ad Onesimum dedisse, quas etiam ipse maximam partem in suam historiam rerulit. *COTELERIO* subscripsit *TILLEMONTIVS memoir. de l'hist. eccles. tom. I. p. 606.* sed non deesse, quæ eidem opponantur, iam ante me *VSSEBIVS* animadvertit. In *Menais* Græcorum, Onesimus non est relatus in seriem Episcoporum Ephesinorum, sed luminibus & sanctis Colossarum Apostolis *d. 22. Nov. p. 174.* Nec in *Simeone* methaphraste, nec in constitutionibus Apostolicis, ubi Ioanni Apostolo successor datus *Ioannes* ille, cui nonnulli veterum & recentiorum Apocalypsin adscripsere. Quemadmodum etiam Timotheo, non Onesimus, sed *Caius* a *Simeone* & *Menais* datus est: sed sunt hæc ita comparata, ut vix liceat certi quid de iis pronunciare. Plura de Onesimo dedit *Surius* ad *d. XII. Febr. Bollandus in act. Sanctor.* eodem die pag. 856. *TILLEMONTIVS* l. c. De Martyrio Onesimi ex Nilo, Ioanni Chrysofomi discipulo, constare docet *RVINARTVS in præf. ad acta Martyr. p. 24.*

§. XVIII.

Tychicus Colossensium Doctor.

In doctorum Colossensium numerum referendus est *TYCHIVS*, cuius honorificam mentionem *S. Paullus* fecit *Col. IV. 7.* Nominat eum *τον αγαπητον αδελφον*, fratrum carissimum, *πιστον διακονον*, fidelem ministrum Ecclesie, *συνδελον εν κυρια*, confervum in Domino. Mandat eidem v. g. munus Apostolicum, quod supra §. 15. secundi ordinis diximus, ut corda Colossensium exploraret, & in fide vera confirmaret. Patria fuit *Asianus*, i. e. ex Asia minori *Act. XX. 4.* gente autem *Iudæ-*

us Col. IV, II. cuius opera Paulus in legationibus sapissime usus est, vid. Tit. III, 12. Paulum nunquam deseruit, sed Romanam comitatus est, unde ab eodem tam ad Ephesios, Ephes. VI, 21. quam ad Colossenses ablegatus est. Ac si verum est, Paulum posteriorem epistolam ad Timotheum e captivitate sua Romanam secunda dedisse, Tychicus quoque in hac Paulo ad tempus adstitit, inde iterum ad Ephesios remissus. 2. Tim. IV, 12. ARCHIPPVS, cum S. Paulus in vinculis Romae esset, Colossensi ecclesiae praefuit, teste Paulo, Col. IV, 17. *καὶ ἐπιτάτῃ* Archippus, Colossensium Doctor.

ἀρχιπύπῳ: dicite Archippo, quomodo enim Colossenses Archippo apud se non praesenti dicere potuissent, quod a Paulo in mandatis habebant? ait SEB. SCHMIDIVS *comment. ad. b. l. p. 260.* Saltem phrasis innuere videtur, Archippum Colossis docuisse tunc temporis: dubium enim non est, Apostolum aliter locutum, si Laodicensium Episcopus Archippus fuisset, quae HUPERII & aliorum pauciorum sententia est. Vana quaestio est, fueritne Archippus Colossensium Episcopus, an Diaconus? Ignorantiae styli sancti N. T. se ipsos damnant, qui ex Pauli verbis, *ὄρατε τὴν διακονίαν*, diaconum fuisse Archippum contendunt: *διακονία* enim omne ministerium verbi significat (conf. de significatione vocis *διακονίας*, Rom. XI, 13. Cor. V, 18. Act. I, 17. 25.) Risum fere merentur, qui Archippum neque diaconum, neque Episcopum, sed presbyterum compellant: discrimen enim hoc fuisse aëvo apostolico ignotum, a nostris theologis invictissime comprobatum est. Acutissimus TILLEMONTIVS *memoir. de l'hist. eccles. tom. I. p. 305.* litem hanc in medio relinquit, Archippumque sacro munere apud Colossenses quidem functum, sed utrum diaconi, an presbyteri, an episcopi nomine, incertum esse existimat ipse. THEODORETUS literis prodidit, Archippum Colossis mansisse, ait in *Constitut. Apostol.* libr. VII. c. 46. legimus, eum abiisse Laodiceam Phrygiae, huicque ecclesiae praefuisse. Memoria Archippi in Latina ecclesia d. XX. martii mensis, in Graeca d. *Martyrium.*

XXII. Nov. colitur, adduntque *Menaa Græcorum p. 355.* Archippum sub Nerone martyrium una cum Philemone & Appia Colossis subiisse. Add. *Acta Sanctorum d. 20. Mart. p. 82. & Menaa p. 179.*

Marcus, Barnabæ nepos.

Sitne MARCVS, Barnabæ nepos, doctoribus ecclesiæ Colossensis annumerandus, dubito: nam utut ex Col. IV, 10. pateat, Marcum Colossis fuisse, Paullique mandata huc tulisse, inde tamen ad munus sacrum concludere nondum licet. Vnde enim constabit, mandata ista ad res domesticas non pertinuisse? Cæterum hic ipse Marcus est, cognomine Ioannes, cuius sub nomine *acta de S. Barnabæ passione* circumferuntur, a BARONIO dudum explosa, *annal. ad A. C. 51. & a VOSSIO L. II. de bist. Græc. c. 9. & FABRICIO in cad. apogryp. N. T. tom. I. p. 781.*

Philemon, Colossensium Doctor.

PHILEMONEM malum iis adnumerare, qui in conversione Colossensium reliquarumque urbium vicinarum, doctoribus auxilio fuerunt. Extat epistola S. Paulli ad PHILEMONEM, de qua commentatores sunt consulendi atque exegetæ. Philemonem doctoribus subsidio venisse, a nemine in dubium vocatur: fueritne ipse ecclesiæ Doctor, nec ne, sub iudice lis est. CALOVIVS noster Tom. IV. *bibl. illustrat. p. 1085.* negat, fretus potissimum HIERONYMI testimonio, qui Philemonem *civem Colossensem* dixit, nihilque in literis S. Paulli occurrere putat, quod vel Episcopalis vel Sacerdotalis dignitatis Philemonem fuisse proderet. At epistola curatius inspecta, in limine statim obviare mihi videtur signum & indicium presbyterialis dignitatis & muneris satis manifestum. Salutatur enim Paulli *συνεργος*, qui titulus semper proprius videtur doctorum, 1. Cor. VII, 9. eritque ille mihi magnus Apollo, qui ex toto N. T. unum locum ostenderit, ubi titulus *συνεργος* alii, quam ministro ecclesiæ fuerit datus. confer. *Rom. XVI, 3. 9. 21. 2. Cor. VIII, 23. Phil. II, 25. c. IV, 3. Col. IV, 11. 1. Thess. III, 2. Phil. v. 24.* Eadem fuit opinio CHRYSOSTOMI,

MI, THEOPHYLACTI, aliorumque ecclesiae antiquioris partium, nec non totius ecclesiae Graecae recentioris, siquidem in *Menæis Græcorum* d. 22. Nov. Philemon Apostolis adnumeratur una cum Archippo, iis tamen, qui e septuaginta discipulorum numero. *Μνημα των αγίων Αποστολων εκ των εβδομηκοντα Φιλημων* & *Αρχιππος*, &c. p. 179. Nec valet CALOVII argumentatio, Epaphram fuisse Colossensium pastorem, Col. I, 7. c. IV, 16. nam Epaphram fuisse Apostolum, ad plures una civitates ab Apostolo missum, §. 15. evicimus: nunc addimus, ea, qua ad Philemonem scribebat Paullus, ætate Epaphram Romæ in vinculis cum Paulo fuisse, *Philem.* v. 23. igitur hoc absente civitatem Christianam Colossensium rexit Philemon. Atque hæc sententia arrisit quoque illi, qui *Constitutiones Apostolicas* compilavit, nam L. VII, c. 46. perhibet, ab Apostolis Philemonem creatum fuisse episcopum Colossensium. A qua maiorum sententia hodierni Græci longe recederent, si certum esset, quod nonnemo (*) asseruit, quod Gazæ episcopum dicerent in *Menæis* d. 22. Nov. sed dum ipse Menæa l. c. p. 174. evolvo, equidem video, Gazam conversionem suam Philemoni debere, sed de Episcopatu nihil relatum lego. Potius non sine causa factum cenfeo, quod Philemon in omni, quæ ipsi a Græca ecclesia exhibetur *ακολουθια* dicatur semper *αποστολος*. E. gr. in primo hymno, quem vulgus canere solet in Philemonis memoriam, occurrunt verba: *αποστολε Φιλημον αξιωτατασε v. 2. σοφε αποστολε, v. 3.* Cæterum in *Menæis* memorie proditum est, Philemonem sub Nerone, præfide Asiæ Androclo, martyrium Colossis passum esse, exuvias Colossis quoque mansisse, multaque miracula edidisse. Conf. TILLEMONTIVS *memoir. de l'hist. eccles.* tom. I. p. 604.

§. XIX.

Multum aucta est Colossensis ecclesiae felicitas, quod vi-
cinae urbes, *Laodicea & Hierapolis*, quarum Col. II, 1. c. IV, 13. 15. 16. 15. 15. 16.
memoria servata est, ad Christianorum sacra transferint; sic enim

F

mutuis

(*) TILLEMONT.

mutuis invicem consiliis opibusque Phrygiæ Pacatianæ urbes sese in veritate iuvabant.

Laodicea, Colossis vicina.

Laodicea nomen in sacris N. T. paginis, præcipue in Apocalypsi Ioanna, subinde obviat. vid. Col. II, 1. & c. IV, 13. 15. 16. Apoc. I, 11. & c. III, 14. Paucis eam delineasse iuvabit. Situm *Laodicea* laudatus Anglus SMITHVS ita describit, ut inter Hierapolin & *Laodiceam* intercedere plantiæ quinquæ millibus passuum amplam & a Lyco flumine irrigatam, observet, recteque moneat, Colossas *Laodiceam* ab occidente habere, & ab ea satis lato spatio distare, uti supra §. 9. pluribus evicimus. Septem collibus, qui mediam plantiæ quandam includebant, superstructam fuisse urbem, olim satis parvam, postea opulentissimam, amplissimam, duobus millibus passuum Epheso distantem. v. SMITHI *not. sept. eccles. Asia p. 20.* Idem Anglus probe adnotavit, ad mille quingentos passus versus Boream & Boreapeliotem dilabi Lycum, latera vero urbis altiere duo fluenta, *Asopum* & *Caprum*, alterum ad occidentem, ad Euronotum alterum, quæ in Lycum cadunt, uti Lycus in Maandrum. Nomen suum habuit ab uxore Antiochi III. *Laodice*, quippe in cuius honorem amplificata est & exornata, teste PLINIO. Cumque multæ urbes simili nomine gavisæ olim sint, conf. LVC. HOLSTENIVS in *not. ad Stephan. Byzant. de urbibus* voc. *λαοδικα*. p. m. 187. iuvabit hanc *Laodiceam* Phrygiæ a Syriæ urbe *Laodicea* potissimum distinxisse, ne forte EVSEBIVM L. IV. *hist. eccles.* c. XXVI. de nostra retulisse putemus, quæ de urbe *Laodicea* & Episcopis *Laodicensibus* ibidem leguntur. Vocatur nostra *Laodicea* ad Lycum, uti est in numo apud SPONIVM: Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΛΥΚΩ. Aliam inscriptionem, eamque antiquissimam LVC. HOLSTENIVS l. c. attulit, ex qua idem cognomen probamus. Phrygiæ metropolis erat *Laodicea*, Colossarum vicina, olim *Diospolis*, postea *Rhoas* dicta, si SALAMONI van TILL credimus, l. c. p. 318. qui hæc ex PLINIO L. V. c. 29. hausit. STRABO
mi-

minit, eam ante vilem sua aetate crevisse, in oppugnatione Mithridatis Exatoris multum passam, agri tamen praestantia civiumque fortiter denuo auctam fuisse. Hodie audit *Eski Hisar*, id est, *vetus castrum*, (*) multaque inter rudera pristinam amplitudinem lugubri aspectu referentia, tria theatra, aquae ductuum vestigia, aliaque pristinae magnitudinis *τεμπλεια* refert SMITHVS l. c. Quibus si numos Laodiceorum addideris, supra §. 6. allatos, recte inde colliges, Laodiceam nostram celeberrimis Asiae minoris urbibus annumerandam esse. Iungitur enim Epheso & Smyrnae, excellentissimis urbibus: ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, ΠΟΤΟ, ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Ne quid de laude PLINII dicam, qua Laodiceam extulit.

Ager Laodiceam circumiacens olim erat fertilissimus, & ovium gregibus nutriendis aptissimus, unde & *Lana Laodicea* a mollitie & nigredine sua per orbem celebratissima fuit, teste STRABONE L. XII. edit. nov. p. 867. Factum inde est, ut mercaturae operam darent Laodicensi, qua opes suas egregie promovebant, suaeque civitati inter Asiae urbes emporii celeberrimi nomen acquirebant. Quodsi constitutiones Apostolicae essent genuinae, *Archippum* primum Laodiceae Episcopum, ab ipso S. Paulo electum, crederemus, v. L. VII. 46. Cui ex *Martyrologio Romano* d. VI. oct. *Sagarin* Martyrem & Episcopum, Paullique discipulum adderemus. v. FABRICII *Lux salutar. evang.* p. 89. Sed incertiora haec sunt; certiora autem, quae in Ioannis Apostoli *Apocalypsi* c. III, 14. seq. hac de urbe ^{Apoc. III, 14. seqq.} referuntur, a CAMP. VITRINGA in *anacrypsi apocal.* ad h. l. sedulo annotata. Etenim ex epistola ad praesulem Laodicensem ab ipso Iesu data, patet, Laodiceam tempori intervuisse, & a pristino zelo atque fervore multum recessisse, siquidem neque *ἠγάπη* neque *ἔσως* erat, suaeque paupertatis spiritualis signara. Resipuisse eam & ad fruges rediisse, verisimile est: quod si au-

F 2

tem

(*) CAROLVS a S. PAVLLO in Geograph. sac. p. m. 230. (edit. Amstel. 1711.) refert ex LEVNCLAVIO, a Turcis Laodiceam nominari *Novae Iesibe*.

tém testimonio EVSEBII affirmatur, ficulneum hoc dixerim e-
go argumentum. Nam quæ EVSEBIVS, loco mox citato, de
ecclesia Laodicena habet, ad Laodiceam Syriæ, non Phrygiæ
pertinent. Servavit autem provida Iesu cura lumen, cuius ob-
fuscationem minatus fuerat, nisi Laodicea ad meliorem mentem
rediret. Constat enim, sæculo quarto A. C. CCCLXVII. *La-*
Synodus Laodi-
cena.*odicenam Synodum* a Phrygiæ Pacatiana vicinarumque regionum
episcopis celebratam esse. Decrevit hæc synodus de discipli-
næ ecclesiasticæ restitutione, nec non de aliis eo spectantibus
rebus, uti ex L. X. canonibus etiamnum extantibus patet : quo-
rum ultimus vel penultimus celeberrimum illud de CANONICIS
libris V. T. & N. T. decretum continet, de quo PRITIVS *in*
introd. N. T. p. 22. meæ edit. prolixè disseruit.

Iocus vexatus
Col. IV, 6.

Olim Laodicenis religio magis fuerat cordi, quum ad S. Paul-
lum literas darent, huncque fidei capitibus interrogarent. Te-
statur id Paullus Col. IV, 6. *καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας* (ἐπιστολὴν, ποί-
ησατέ) *ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνώτε* : quibus verbis luculentissime per-
hibet, *ἐκ Λαοδικείας*, ex Laodicenorum urbe ad Paullum literas
fuisse missas. Sunt, qui ipsum S. Paullum *ἐκ Λαοδικείας* episto-
lam quandam, ad Ephesos forte, exarasse putant; sed hi erunt
fere, qui a propria *τῆ ἐκ* significatione discedunt; simul oblii,
S. Paullum nondum Laodiceæ fuisse tunc, cum hanc ad Colof-
senses epistolam componeret, Col. II, 1. Quod si Apostolus
nunquam Laodiceæ fuerat, qui quæso Laodicea scribere poterat?
Stat itaque sententia, Paullum Colossensibus narrare, Laodice-
nos ad se literas dedisse, quarum copia ut Colossensibus
daretur, simul imperat. Faciunt nobiscum omnes versiones
antiquæ, in primis Syrus & Arabs, nec non antiqua Latina; Fa-
ciunt nobiscum patres primitivæ ecclesiæ, hosque inter CHRY-
SOSTOMVS, qui voculam *ἐκ* urget. *Οὐ γὰρ εἶπε, τὴν ΠΡΟΣ Λαο-
δικείας, ἀλλὰ τὴν ἐκ Λαοδικείας φησι γραφεῖσθαι. hom. XII. in epist.
ad Coloss.* Facit etiam mecum ESTIVS ad h. l. cuius verba ad-
scripsisse iuvabit : *Probabilior nobis est eorum sententia, qui pu-
tant,*

tant, hic agi de epistola ab ipsis Laodicensibus scripta ad Paullum, qua contineret magnam testificationem fidei & caritatis eorum: ideoque Paullum voluisse, ut eam legerent Colossenses, illorum scilicet exemplo provocandi atque excitandi ad morem fidei & caritatis profectum. add. TILLEMONT. *memoir. de l'hist. eccles. rom. I. p. 605. (*)*

Atque hinc patet, quid de suppositicia illa S. Pauli ad Laodicenos epistola sit iudicandum, de qua prolixius commentatus sum in additamentis ad b. PRITHI *introd. in N. T. p. m. 137.* add. FABRITIVS *in codic. apocr. N. T. tom. II. p. 833. seqq.*

§. XX.

Hierapolis Colossensibus vicina fuit, uti Laodicea; hinc Hierapolis, Colossis vicina.
 Paullus Hierapolitanos Colossensibus iungit Col. IV, 13. sequitur de Colossensibus, Laodicensibus pariter & Hierapolitanis, admodum sollicitum pronunciat. Hierapoleos nomine plures urbes olim venerunt: alia Syriæ, alia Cretæ, alia demum Cariae: nos autem de Phrygiæ oppido loquimur. Vid. ST. BYZANT. *de urbib. p. m. 41.* Celebrem olim fuisse Phrygiæ Hierapolin, non solum scriptores antiqui, sed & numi hac in urbe cusi atque etiamnum extantes, abunde loquuntur. In his vocatur ΝΕΑΚΟΡΟΣ, titulo satis honesto, qui eminentiam præ aliis urbibus ac singularem idoli cuiuspiam, sine dubio *Cybeles* deæ Phrygiæ, curam cultumque denotat. Sic Ephesus Dianæ Αἰ. XIX, 35. *ἑκατόμορος* dicitur, quia sanum Dianæ sanctissime curabar, huiusque *aditua* quasi erat. Act. XIX, 35. Atque hinc Ephesus Hierapolis in numis iungitur, ideo, quod una cum Ephesio ad *κωνσταντινουπολεις* pertinet, inque his sacra sua peregit. Sita fuit in confiniis Phrygiæ & Lydiæ, teste STEPHANO BYZANTINO, unde & a nonnullis, sed immerito, Lydiæ adscripta est. *vid. f. 6.* Vestigia nobilissimæ huius urbis

(*) Nuperrime eandem sententiam de hac epistola tulit I. O. LAMIVS, in Academia Florent. P. P. in libro paradoxo *de eruditione Apostolorum p. 166.*

dit intra Maandrum & Lycum, qui simul obferuavit, Hierapolin non contemnendam urbem olim fuisse, ingentem marmorum litteratorum etiamnum Hierapoli occurrentium, fruem, abunde docere. *Vel nota Hierapolis*, inquit SMITHVS *in praef. ad septem Asiae Eccles. notit. quantum praesens iudicare poteram, plusquam octidui, si illic mihi tam diu manendum fuisset, laborem exhaustisset.*

Synodi Hierapolitanae.

Idem ex conciliis, in ea habitis, haud immerito colligitur. *Primum concilium Hierapolitanum* circa annum CLXXIII. ab Apollinario, Episcopo Hierapolitano & viginti sex aliunde convocatis praesulibus celebratum est, quo Montanus cum Maximilla, nec non Theodorus vel Theodotus Coriarius, condemnati sunt. v. STEPH. BALVZIVS *collect. nov. p. 5. LABBEI concil. tom. 1. p. 599. CAVE bist. liter. pag. 50. Secundum concilium Hierapolitanum* circa annum CCCXLIV. a Stephano Metropolitano indictum fuit, quo Sabinianus in locum Athanasii Perthenorum Episcopi surrogatus, manuum impositione sacro muneri consecratus est. v. CAVE l. c. p. 309.

S. Papias, Hierap.

Habuit etiam Hierapolis doctores ecclesiae eximios, quos inter PAPIAS eminent, notissimus ille fabulae de regno Chiliastico conditor. Hierapoli natus, S. Ioannis discipulum & S. Polycarpi sodalem fuisse Papiam, vulgo creditur: unde & circa saeculi secundi primordia eum vixisse necesse est. Ecclesiae Hierapolitanae praefuit multa cum laude, scripsitque quinque volumina, λογίων κυριακῶν ἐξηγησεως, quem titulum HIERONYMVS vertit: *Explanatio sermonum Domini*. Sed ERASMVS ROTER. titulum Graecum refert h. m. ἐκθεσις τῶν λογίων κυριακῶν. Praeter fragmenta apud Irenaeum, Andream Caesariensem, & Oecumenium obvia, nihil de iis superest, etsi TRITHEMIVS in alias partes abiisse visus fuerit *DVPINIO bibl. nouvel. Tom. 1. p. 80.* Qui vero Papiam verba IESV exposuisse in illis libris autumaret, nae ille erraret, nam ex fragmento ab HIERONYMO *catal. script. eccles. c. 18.* seruato patet, Papiam in Exegeſi sua

sua enarrasse sermones Apostolorum, dicta & apophthegmata, facta & miracula, sibi a viris Apostolis relata. Collegit fragmenta HALLOIXIVS *tom. I. scriptor. eccles. orient.* De auctoritate & scriptis PAPIÆ consuli meretur CAVEVS *bist. liter. p. m. 30.* ITTIGIVS *in diss. de vivis apostolic. s. 50.*

Præter Papiam APOLLINARIUS, Asiæ Hierapolitanus s. Apollinarius. Episcopus, ab HIERONYMO *catal. script. eccles. c. 26.* celebratur, nec non ab EVSEBIO *Lib. IV. bist. eccles. c. 26. L. V. c. 15. 16.* & PHOTIO *codic. 14.* In Martyrologio Romano ad diem VIII. Ian. memoria S. CLAVDII APOLLINARII martyris, Hierapoleos in Phrygia Asiæ provincia Episcopi, servata est. Laudat Hieronymus Apollinarium nostrum, sub Imperatore M. Antonio Vero florentem, quod huic insignem apologiam *pro fide Christianorum* obtulerit; quod quinque libros adversus gentes exaraverit; quod de veritate duo, & contra Cataphrygas, (*) tunc primum a Montano cum Priscilla & Maximilla excitatos scripserit. Quæ opera singula perierunt, exceptis paucis fragmentis ab Eusebio, Rufino & Nicephoro servata, quorum de sinceritate consulendus est HALLOIXIVS *tom. II. script. eccles. Orient. in vit. Theophil. c. 4.* Edidit & alios libros, studiose a CAVEO allegatos, *bist. liter. p. m. 43.* Sitne hic Apollinarius, de quo Hieronymus *ad magnum Orationem Tom. III. f. 149. edit. Evasm.* rerulit, quod Philosophorum fontes, ex quibus Origenes sua venena hauserit, ostenderit, disquiri venerabilis atque celeberrimus Doct. ERN. SAL. CYPRIANVS *ad Hieron. Catal. p. m. 251.* Cæterum multa laude condecoratur Apollinarius Hierapolitanus a PHOTIO, cui audit *αληθ αξιολογος, και Φρασει αξιολογω μεχημενος*, vir præstans stiloque præstanti usus. *cod. 14.*

Porro

(*) Fœritne Apollinarius auctor horum librorum genuinus, sub iudice lis est. conf. ITTIGIVS de hæresarchis ævi apostolici, p. m. 214 VALESIVS in not. ad Eusebii hist. ecclesiast. p. m. 179. HALLOIXIVS *tom. II. de illiqtr. orient. eccles. scriptor. p. 816.*

Abercius Hierapol.

Hodierna urbis facies.

Aquæ calidæ Hierapol.

Porro huc referendus esset ABERCIUS, patria Hierapolitanus, cuius & Episcopus creatus circa an. CLXIV. sub M. Aurelio & Vero imperatoribus. Ast cum nulla ABERCII mentio facta sit in veterum monumentis, vitæque a Simeone Metaphralte scripta, multis de causis sublesta existimetur, nolumus ficto quodam nomine Hierapoli nostræ gloriam conciliare. vide CAVE *bist. liter. p. m. 39.* Qui hodiernam faciem Hierapoleos delineatam cupit, adeat sæpe laudatum Anglum, SMITHVM, qui p. 35. urbem sacram hodie a Turcis *Pambuk Kulaf*, i. e. gossipianam dici, turrem ob rupium clivos, qui e longinquo instar gossipii cadent, observavit. Addidit idem, Balneum, unde *calidæ aquæ* olim celeberrimæ scaturiebant, marmore candido stratum quidem superesse, sed columnas, quibus olim circumdatum erat, in illud corruisse. Urbem totam penitus eversam incolisque destitutam esse, ruinas autem multam & magnificentiam & gloriam præ se ferre, adeo, ut SMITHVS ne lugere quidem satis potuerit flebilem & miserandam sortem urbis, quæ tot templis olim superbiit, tot palatiis insignibusque ædibus gavisâ est, ut *Ἱεραπόλεως* s. *sacrae urbis* nomine cohonestaretur. Rectissime hæc a SMITHO annotata sunt, debuissent autem & iidem in memoriam revocare, quæ tam in STRABONE, quam in numis antiquis de *Plutonio Hierapolitano* commemorantur. STRABO eiusdem meminit L. XII. p. 868. de numis autem egregie differit BEGERVS in *thesaur. Brandenb. tom. I. p. 505. 506.*

§. XXI.

Anastasiopolis urbs.

Tribus his urbibus, ab ipso S. Paulo in litteris ad Colossenses commemoratis, adderem ego *Anastasiopolin*, quia huius in Synodo CPLitana VI. & in *Leonis sapientis notitia* mentio iniicitur. Sed cum sæpius observaverim, urbes Galatiæ cum Phrygiæ oppidis propter terminorum coniunctionem haud raro

ro

ro confundi, alii iudicent, fueritne Anastasiopolis Galatiæ, an Pacatianæ Phrygiæ. Ante Synodum VI. CPlitanam nullibi Phrygiæ Anastasiopoleos nomen legitur, quod olim suspicionem mihi movit, antiquiorem urbem ex ruderibus restitutam novo nomine condecoratam fuisse.

De reliquis Phrygiæ Pacatianæ urbibus passim in notitiis imp. obviis, data opera silemus, quia scilicet non constat, dederintne nomina sua Christo, tunc cum Paullus ad Colossensas scriberet. Qui eos nosse cupit, adeat ORLENDVM *in orbe sacr. & prof.* tom. I. p. 141. Vetustissimas autem urbes magnæ Phrygiæ nominat STRABO, Laodiceam, Apameam, Aphrodisiata, Colossas, Themipifonium, Sanaon, Eucarpiam, &c. L. XII. *edit. ant. 577. nov. p. 864.*

§. XXII.

Atque sic demum constabit, Phrygiam Pacatianam fere omnem, ætate apostolorum ad christianorum castra transiisse, non solumque sospitorem divino honore coluisse: quod interpretibus usui erit in explicandis literis S. Pauli ad Colossenses c. II, I. & c. IV. 13. 15. 16. Fit enim non raro, ut Laodicea & Hierapolis vix tribus verbis recensentur a commentatoribus, quasi ad incognitas terras pertinuisent, nihilque de iis constaret. Simul autem inde colligitur, felicitatem ecclesiæ Colossensis multam magnamque fuisse, quippe quæ in vicinia habebat, unde auxilia consiliaque sperare debebat. conf. §. XIX.

§. XXIII.

Vtinam hæc Colossensium fortuna perennior fuisset! Sub Nerone Colossas terræ motu collapsas, historia perhibet, quæ simul addit, sub eodem imperatore multam quoque passam esse ecclesiam Colossensem. Persecutio, quam tyrannus omnibus regionibus intendebat, Phrygiam quoque premebat, multoque confessores ad ultima supplicia crudelissime rapiebat. *Philemon cum Appia, Archippus* aliique martyrio tunc temporis coronabantur Colossis, hodieque a Græcis magna superstitione

Cur de his Phrygiæ urbibus h. l. agatur.

Ecclesiæ Colossensis fata.

Martyres Colossenses.

De persecutione
Neronis.

coluntur. Equidem DODWELLVS *differ.* Cyprian. XI. §. 13. Neronis persecutionem inter Romæ urbis fines conclusam existimat, cui tamen RVINARTVS in præf. *ad acta marty. sincera p. 31.* ex assè satisfecit. LACTANTIUS & OROSIVS per omnes provincias Christianos pari persecutione ex cruciatos fuisse, conceptis verbis referunt: eratque DODWELLVS, dum incendium Romanorum unicum persecutionis causam existimat, quippe iidem scriptores addunt, Neronem animadvertisse, non modo Romæ sed & ubique magnam multitudinem deficere, a cultu idolorum, ideoque ira tyrannum exaruisse. Sub Domitiano eandem crudelitatem experti sunt Colossenses, nec dubium est, eos & in illis, quæ has exceperunt, persecutionibus Christianorum, durioribus fati subiectos fuisse, etsi nomina martyrum maximam partem nostra ætate sint ignota. Possent forsitan nonnulla martyrum Phrygum nomina e Martyrologiis, Menologiis & Menæis erui, si fatidoti haberemus. e. gr. S. *Caii & Alexandri*, qui sæculo II. Apameæ ad Mæandrum perierunt, v. *Acta sanct.* d. 10. Mart. p. 4. Ulterius si Colossensis ecclesiæ historiam texere vellemus, turbæ, quæ a *Semiudaizantibus, Gnosticis, Catapbrygibus*, & aliis a veritate descendentibus, excitatæ olim fuerunt, essent commemorandæ. Sed, pace Lectorum benevolentium, hoc qualescunque pensum sectioni posteriori, propediem in lucem edendæ, servabo. Est enim prolixius & difficilium, quam ut hæc paginarum angustia illud capere queat.

Terræ motus, quo urbs sub Nerone concussa, ecclesiæ quoque non leve detrimentum attulit: quumque Colossarum memoria post ævum Apostolicum mihi quidem prius non occurrat, quam sub Graecis imperatoribus, sit inde mihi verisimile, ecclesiam cum urbe deletam diu iacuisse, seraque demum ætate ex pulvere surrexisse. (*) Nova urbis facies novum eadem
no-

(*) Retulit mihi vir quidam doctissimus, sese nomen cuiusdam Episcopi Colossensis, in subscriptione Concilii cuiusdam sæc. V. legisse: Addidit nonnemo,

nomen peperit, *Χωνων* scilicet, ut antea §. III. ex THEOPHY-
 LACTO, & CONSTANTINO PORPHYROG. docuimus: *Χωνυ*.
 hinc *Cbonensis* episcopatus dictus est, qui olim Colossensis, cui
 postea *metropolitani* titulus accessit. Inde derivandum est co-
 gnomen *Cboniata*, passim obvium. CAVEVS allegat MICHA-
 ELEM ACOMINATVM CHONIATAM, Athenarum Me-
 tropolitam, circa annum 1204. celebrem, cuius oratio funebris
 in mortem fratris Nicetæ, nec non alia opera & fragmenta quæ-
 dam supersunt. l. c. p. 619. Postea NICETAS ACOMINA-
 TVS CHONIATA, Michaelis frater in aula Constantinopoli-
 tana degens anno 1204. capto a Latinis Byzantio, ipse cum u-
 xore grvida in exilium profectus, Nicææ anno 1206. obiit. Hi-
 storia, quam condidit, incipit ab obitu Alexii Comneni, & de-
 finit in Henrici Flandri introitu. Scripsit etiam thesaurum or-
 thodoxæ fidei, confutationem legis Muhameticæ, &c. de quibus
 singulis CAVEVS *bist. lit.* p. 620. more suo differuit: cui
 recte iunges OVDINVM *rom. II. de scriptoribus eccles. sæc. XII.*
 p. m. 1709. 1712. Tandem suspicor, GEORGIVM CHO-
 NIATAM Presbyterum quoque huc esse referendum, qui scho-
 lia in Ioannis Damasceni librum, *fontem scientiæ* dictum, scripsit;
 Quorum LEO ALLATIVS meminit copiamque ad Ioan Au-
 bertum Parisiensem transmisit, v. CAVE l. c. *in append.* p. 171.
 Idem LEO ALLATIVS *de Simeon.* p. 49. meminit ARCHIPPI
 cuiusdam, Eremitæ & ecclesiæ, quæ in urbe *Cbonis* erat, Paro-
 monarii f. Custodis, qui de miraculo S. Michaelis Archangeli
 narrationem edidit: Forsitan ad nostros hic quoque pertinet,
 v. CAVE l. c. p. 168. Sic autem constat, Colossensium eccle-
 siam ad sæculum decimum tertium usque durasse, suisque epi-
 scopis gavissimum esse.

Ab illo tempore, non memini me nomen *Cbonensis episco-
 parus*

se nomen Metropolitanæ Colossensis in Notitiis antiquis vidisse: Mihi vero
 non licuit adeo felici esse, qui loca ista invenire potuissim. Dies diem doc-
 cer: alio forsitan tempore certiora mihi obtingent.

Novum Colof-
 sarum Nomen,
Χωνυ.

Michael Acom-
 Choniata.]

Nicetas Acom.
 Choniata.

Georgius Choni-
 ata.


Archippus Cho-
 niata.

patus legisse. Equidem in vita *S. Angeli* martyris, a Patriarcha Hierosolymitano Enoch. a. 1220. exarata legitur, quod dicto tempore PAVLLVS *Archiepiscopus Colossensis* subscripserit canonisationi (sit venia verbo) *S. Angeli*; sed quis tam obesa naris esset, ut fraudem subodorari nequiret. Pertinent hæc ipsa Acta *S. Martyris* ad consuetas Romanæ ecclesiæ artes, quibus cultui sanctorum colorem speciemque antiquitatis conciliare student. Turpis ille impostor, qui sub *Enochi* nomine vitam *S. Angeli* confinxit, adeo ignarus fuit antiquæ historiæ, ut nesciret, Colossentium nomen diu perditum fuisse ea, qua Enochus patriarcha vivebat, ætate; hinc securus admodum Thessalonicensi, Nicomediensi, Tyrensi, Nicosensi Colossensem archiepiscopum addere non dubitavit. Conf. CAIETANVS *de sanctis Siculis* Tom. II. p. 187.

Collapsam itaque esse puritatem doctrinæ a *S. Paulo* olim in Colossensibus collaudatam, omnemque Asiam minorem spissis erroribus, pravisque superstitionibus denuo obrutam, quis est, qui neget. Audiamus quæso nobilissimum Anglum, TH. SMITHVM, qui verbis vix exprimere potuit miseriam Colossarum statum hodiernum: *Nulla apud ipsos est ecclesia; nullus sacerdos, qui liturgica prælegat, & sacramentum eucharistiæ celebret. Græcæ linguæ penitus obliiti miserrimi Colossenses, Turcice in familiari sermone loquuntur. V. notit. Asiæ eccles. sept. p. 39.*

Hodie sub iugum Turcarum missæ sunt Colossæ, horrendisque ruderibus pariter & tenebris sepultæ iacent, postquam ecclesia ab ipso Paulo olim fundata, nunc funditus deleta est. O tristitia rerum fata! quas olim Apostolorum vox personuit terras, nunc nil nisi Mohammedis somnia & mendacia resonant. Ohe! quando fatis erit divinarum irarum?





ULB Halle

3


003 898 946



sb:

10/18







Subl. 10

INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE S. PAVLLI
APOSTOLI
AD
COLOSSENSES
SECTIO I.

1739,
66

QVAM
VENERANDO THEOLOGORVM ORDINE IVBENTE
PRO
L I C E N T I A
SVMMOS IN THEOLOClA HONORES CONSEQVENDI
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
a. d. XXVI. AVGVST. A. R. S. cIo Io cc XXXIX
PVBLICE DEFENDIT
CAROLVS GOTTLOB
HOFMANNVS

ADHVC APVD LIPSIENS. AD AEDEM S. PETRI ECCLESIA-
TES, NVNC DESIGNATVS S. S. THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS ET ALVMNORVM REGIO - ELECTORALIVM
EPHORVS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI.

EDITIQ SECVNDA AVCTOR
VITEMBERGAE
APVD EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDIYM
ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.

